

Pub. 20. num. 2.
I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,

De

1684, 2
FORO COMPE-
TENTI,

Quam

AUSPICIO DIVINI NUMINIS,

EX DECRETO ET AUTHORITY

Magnifici & Amplissimi Juris Consultorum Ordinis in
Alma Electorali Brandenburgica, quae est
Duisburgi Civitatis,

PRO

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis
Doctoralibus, ritè ac solenniter more ma-
jorum, consequendis.

Publico Eruditorum examini subjiciet

JOHANNES GEORGIUS Von DIEST,
ALTENA - WESTPHALUS,

Ad diem 20. Novembr. in Auditorio majori,
horis solitis.



DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.

Anno M. DC. LXXXIV.

1723

Handwritten text, possibly a title or header, mostly illegible due to fading.

Handwritten text, possibly a date or reference, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a name or location, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or entry, mostly illegible.





*Generosissimo, Nobilissimo, Excellentissimo
Viro ac Domino,*

**D^N. FRANCISCO
DE MEINDERS,**

**HEREDITARIO IN HEINERSDORFF,
TASDORFF ET HACKENAU,**

**SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
DOMINI PRINCIPIS ELECTORIS
BRANDENBURGICI CONSILIARIO STA-
TUS SECRETIORI AC INTIMO; PA-
TRONO ET MOECENATI SUO
ÆTERNUM COLENDO.**

E*St illud more majorum laudabiliter introductum,
Vir Generosissime; ut, qui post emensum juris nostri
immensum pelagus, præmium suæ qualiscunque indu-
striæ secundum §. fin. Præm. Inst. sperare audent, pu-
blico prius testimonio suspicionem quamvis sinistram à se
removeant. Huic instituto refragari, nec fas, nec ani-
mus mihi fuit. Unde diutiùs hæsitans, quid ex innume-
ris, publicè non inutile, & privatis haud ingratum se-
ligendum foret; tandem occurrit præsens, quod est de
Foro Competenti, thema: Cujus aliqualem explica-
tionem uti firmiter decreveram, ita hætenus felici au-
spicio perfectam exhibeo. Cæterum alia ratio conatus
hosce, jam tum sat debiles, irritos fere reddidisset; vo-
lutanti enim mihi, quo modo quævis fere eruditorum scri-
pta*

pta censuram eorum evadere nequiverint, qui, precipi-
tanti iudicio, non nisi id deprimere student, cui efficiendo
ipsi impares sunt, deficiebat Author, cujus solius nomi-
nis præfulgentia (plus enim ab immerente postulari in-
decorum videbatur) & scriptum æternitate, & male-
voli timore perfunderentur. Occurrit igitur Excellentia
Tua mihi pariter ac toti Patriæ nostræ adoranda; cujus
rara benignitas cunctos in devotionem & admirationem
sui trahit; ut, vel me tacente, recondi id non sinit,
tum incolarum tum exterorum applausus. Metuebam
quidem ne temeritatis arguerer, si Te, Generosiss: Do-
mine, defensorem Juridico huic exercitio ascisserem:
ast erigebat certa spes, non fore, ut ea, quæ hucusque
nemini denegata cernitur, & præprimis in nostram fa-
miliam conspicua fuit, benevolentia mihi primò dene-
garetur. Unde nullus dubito quin non inferiori favore
devotissimum tibi Clientem prosecuturus sis, ac sincerâ hu-
militate hoc quaecumque devotionis & gratitudinis te-
stimoniū ad Manus Tuas delabitur; quo obtento nihil
mihi reliquum erit, quam ut Generosissimam Dignita-
tem Tuam voto sempiternæ felicitatis & prosperorum
undique successuum, sentiendo copiosius quam loquendo,
submissè mactem: si tamen exiguo hoc voto includi po-
test multò generosior virtus; quod ita devotissima mente
apprecatur

Generosissimæ Nobilitati Tuæ

Devotissimus ac Humillimus Cliens

JOANNES GEORGIUS Von DIEST,



DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,

De

FORO COMPE-
TENTI.

THESIS I.



Um æquivocatio nominum inutiles
soleat parere difficultates, has succin-
cta definitione, vel si mavis descri-
ptione in ipso statim exordio ante-
vertere visum fuit; conclamatam sci-
licet ubivis in Scholis methodum, qua
definitionem rei tractandæ præmittunt, sequendo:
Definitio autem hæc vel talis est, ut in simplici deri-
vatione nominis, à primis principiis id revocando,
persistat; vel ita comparata ut ipsius rei substantiam
perfectè explicet. Illa nominalis, hæc realis commu-
ni distinctione appellatur. Ergo cum juxta effatum
Jcti in *l. 1. ff. de reb. cred.* & exemplo Ulpiani in
l. 1. ff. de Just. & Jur. è re sit, prius de nominali dif-
ferere, hac eousque relicta, illius expositionem ag-
gredimur.

A

II. Forum

II.

Forum, de quo præfens instituitur disceptatio, vel à fando, vel à Foroneo primo Græcorum Rege deducit Isidorus in *c. forus* 10. x. de *V. S.* Alii id à ferendo derivare malunt; in quo cum non sint positæ opes Græciæ, libero hic cuique relicto iudicio, ipsam fori substantiam media reali definitione nunc propiùs considerandam suscipio. Definitio autem Forum, quod sit *exercendarum litium locus*; quæ descriptio ut simplex & plana, ita minimè necessarium arbitror addere: *à litigantibus necessario aduendus*, contra Umm. *disp. ad Proc. jud. 4. tb. 1. n. 2.* hoc enim ad descriptionem demum specialio rem fori competentis & cuiusque proprii, accuratè loquendo, pertinet. De jure Civili rectè definires forum esse locum, ubi prætor salva majestate imperii sui, salvoque more majorum jus dicere constituit. *l. penult ff. de just. & jur.* In explicatione definitionis notanda imprimis anxia distinctio nominis, quam hic aliqui inter voces, Forus & Forum, masculinum & neutrum urgent; ita ut masculinum Forus, quo in *d. c. 10.* utitur Isidorus, superiorem tantum definitionem recipiat: Forum autem in neutro genere accipiatur pro territorio cujusque judicis, intra quod animadvertere potest in facinorosos homines. *l. Pupillus 239. §. Territorium 8. ff. de verb. sign.* Cæterum quid obstat, quo minus posthabitis istis argutiis, quibus, præter id quod nullibi fundatæ sunt, semper leges nostræ inimicæ fuere *l. 13. C. d. contr. stip.* non minus receptam quam veram sententiam sequamur, quæ eodem neutro genere, vel latius vel strictius sumto, utrumque significari vult. Umm. *disp. 4. tb. 1. n. 1.* & post eum Mejer.

C. A.

C. A. th. 201. ff. de judic. Reliqua, ad pleniorē definitionis explanationem pertinentia, proprio suo & commodiori quæque loco reservantur.

III.

Sic itaque nominali & partim etiam reali fori cognitione absoluta, ad divisionem, quæ de reali cognitione restat, justus nos postulat ordo. Divisio enim tanquam subalternum aliquod definitionis vulgari opinione habetur. Divisio fori generalissima est in competens & incompetens. Forum competens rursus subdividitur in id quod habet originem & causam ex jure communi, & in illud quod originem habet ex jure aliquo peculiari. Ex jure communi venit forum domicilii, contractus, delicti, rei sitæ, continentia causarum. Ex jure peculiari venit forum speciale vel propter qualitatem causæ, vel propter privilegium personæ; de singulis latius infra. Alias divisiones minus ad rem pertinentes & disquisitioni nostræ haud accommodas sicco, quod ajunt, pede præterimus. Neque tamen quodvis harum divisionum membrum, sed alterum tantum quod de competentia fori inscribitur, ceu proprium hujus disputationis objectum prosequemur; quanquam cognita & elucidata competentia fori, non difficile fuerit ex natura contrariorum simul de incompetencia ejusdem judicare; uno siquidem è contrariis cognito, alterum quoque eo ipso pro cognito habetur.

IV.

Priusquam speciatim ad interiora causarum, unde quis forum fortitur, pedem moveamus, illud in genere præmonendum censui, quod regulariter actor sequatur forum rei, sive reali, sive personali actione

eum conveniat. *text. notab. in l. fin. ubi Dd. C. ubi in rem act. l. 1. l. 5. C. de jurisd. omn. jud.* Regula non tantum, ut dictum, jure Civili, sed etiam Canonico expressa. *in c. cum sit generale 8 x. de for. competent.* Neque tamen tam firma, quin, quod naturale omnium regularum videtur, exceptionem unam alteramve patiatur. Et prima quidem præ cæteris spectabilis est desumpta ex *L. diffamari. 5. C. de ingen. manum.* Vigore cujus, diffamatus à judice suo competente, probata tamen prius diffamatione, petit, ut diffamanti ad proponendam in foro diffamati, nunc actoris, postea rei, actionem, congruus terminus assignetur, contumaciter autem emanenti, poena perpetui silentii imponatur: Ecce hic est casus, quo reus tenetur sequi forum actoris; quod enim diffamatus nunc actor sit, dubium non videtur, stante illo principio, quod actor is sit qui prior ad iudicium provocat. *l. 13. l. 14. l. 20. l. 62. ff. de iudic.* Struv. *Exerc. 9. th. 4.* & ita loquuntur Dd. comm. Verum enim verò re pensulatiùs considerata, parum vel nihil hinc videtur contra præfatam regulam inferri. Quin potiùs supposito duplici iudicio, quod in processu legis diffamari animadvertere licet, diffamatorio scilicet & principali (diffamationis & actionis aliis vocatur) nihil hic à proposita generali regula receditur, sed generale manet, quod diffamans, qui alterum diffamando actorem se quodammodo constituit & ad iudicium provocat, Mejer. *d. l. circ. princ.* forum rei seu diffamati sequatur, nihil hic obstante facto diffamati, quod principalis iudicii præambulum duntaxat est, nec alio tendit, quam ut diffamans ad justificandam diffamationem suam à iudice citetur, &

& causæ principali expeditior & pronior sternatur
via.

V.

Diximus quod diffamans teneatur sequi forum
diffamati, quod hic ulterius declarandum in casu,
quo diffamatus habet diversa fora; licet enim & hic
verum maneat quod actor teneatur sequi forum rei,
id tamen privilegii ei tributum, ut ex duplici rei fo-
ro alterutrum eligere possit, prout hoc non tantum
in iudicio diffamationis à Blarer. *in rep. l. diff. c. 4.*
n. 5. 6. sed etiam tanquam generale iudiciorum do-
cetur ab Interpp. infra laudandis. Ratio in iudicio
diffamationis specialior præter generalem est, quod
citatio ex lege diffamari nullam inducat præventio-
nem; unde infertur, deesse hic vinculum obligandi,
cujus prætextu actor hoc illudve forum tantum so-
lum accedere debeat. Confirmat hoc non tantum ex
jure communi Treutl. *vol. 2. disp. 26. th. 4. lit. D.*
Sed ex Constitutionibus Imperii etiam, Recess. Imp.
de Anno 1654. §. 83. incip. *Cammerrichter.* Mori-
bus & stylo Camerali hodierno, quantum quidem
iste cum Constitutionibus Imperii convenit, distin-
guendi sunt tres casus, quos distinxit ipsa Ord. Cam.
p. 2. tit. 25. Primus est, quando diffamatus immedia-
tè Camerae & Imperio subjectus, nec causæ contro-
vertendæ qualitas alium iudicem agnoscit, tunc u-
trumque iudicium, & diffamatorium & principale, in
Camera absolvitur. Alter casus est, quando diffama-
tus imperio quidem immediatè subjectus, sed cau-
sæ qualitas vel privilegium primæ instantiæ, puta
Austregarum, causam principalem in Camera pera-
gi vetat, tunc jurisdictio Camerae quoad diffamato-
rium

rium quidem iudicium fundata est, at eo finito causa principalis ad iudicem ordinarium est remittenda. Ad quod etiam est expressus Recess. Imp. de Anno 1654. §. 83. incip. *Cammerrichter / Præsidenten &c. Just. Mejer. in C. A. tit. de injur. thes. 36. circ. fin.* Nec hanc remissionem ullum vel jus præventionis vel electionis remorari potest, præventio siquidem nec iudicia separata connectere, nec jurisdictionem Camerae, quam non habet, in puncto principali prolongare, nec, quod commune ei cum iure electionis est, privilegium primæ instantiæ invito altero tollere potest. *arg. Recess. Imper. noviss §. 105. Benebens sollen.* Tertius casus est, quando diffamatus neque immediatè jurisdictioni Camerae subjectus, neque causa natura sui eò spectat. Hic neutro in iudicio jurisdictione Camerae est fundata, sed causa ad iudicium competens est remittenda. *Gail. 1. Obs. 12. n. 1.* Et hæc rectè etiam ad inferiora iudicia, utpote quæ secundum normam & naturam superiorum regulantur, §. *fin. Inst. de satisd. applicabis.*

VI.

Secunda exceptio generalis est, quando vel qualitas causæ specialis, vel privilegium aliud causam ad certum forum restrinxit; utut enim reus hic sit alterius fori, attamen specialis illa qualitas prævalet, & non tam rei conventi, quam causæ forum tunc actor sequitur. Exempla petes ex iis quæ inferius de causis Ecclesiasticis & Feudalibus dicenda sunt. Tertia exceptio est, quando tertius in iudicio nominatur vel intervenit. Nam interventio ista debet fieri in illo iudicio ubi causa agitari cœpta, neque tertius iste actorem ad suum forum revocare, vel privilegium sui iudicis

judicis allegare potest; quod in casu evictionis exemplificat Paulus *in l. 49. ff. de judic.* Scilicet venditor, cui ab emptore denunciatum, ut evictionis nomine se in judicio defenderet, emptoris forum sequi tenetur, nec ullo fori proprii privilegio se tueri potest. Atque hæc exceptio eadem est cum illa, quam quidam ponunt distinguendo inter reum voluntarium & necessarium; ita ut de hoc saltem intelligatur regula nostra, de illo non item, prout facit Barthol. Socin. *Reg. 15. fallent. 2.* Quarta exceptio est, quando cum personis miserabilibus res est, quibus hoc ex privilegio *l. un. C. quan. imp. int. pup. vel vid. &c.* tributum, ut eum, contra quem actionem habent, statim coram Imperatore convenire possint; nec tamen vicissim actor alius (quod alterum privilegii caput est) eas extra provinciam, in qua habitant, trahere queat. Marant. *spec. aur. p. 4. dist. 9. n. 37. & 38.* In judicio Camerali hanc legem exolevisse tradunt post Gail. *1. Obs. 1. n. 40.* Struv. *Ex. 9. tb. 59.* Carpzov. *tit. 3. artic. 6. §. 1. n. 4.* Quæritur de viduis, pupillis &c. divitibus, an & illi gaudeant privilegio *l. un. C. quand. imp. int. pup.* Negat Maranta *alleg. l. n. 79.* ex ratione, quod divitiæ faciant cessare rationem miserabilitatis *in d. l. expressam.* Affirmat Gail. *d. l. n. 40.* cui me, tum ob generalitatem textus, tum ob evidentem rationem, adjungam socium. Ratio desumpta est ex ipso privilegio, quod non fundatum in divitiis vel paupertate, sed sola conditione & qualitate personæ, quam non mutat bonorum affluentia. Addo, quod insolens non sit, hæc personas etiam divites eadem ut pauperes ratione vexari, quæ ratio hujus privilegii impulsiva fuit. Neque concedimus

cedimus Marantæ, miserabilitatem in hisce personis cessare, saltem si miserabilitatem per se & quoad habitum consideremus; non minus enim divites ac pauperes commiseratione digni, si fortunæ injuria eos in tali posuit conditione, quæ injuriis hominum crebrius subjici solet. Et hæc eo majus firmamentum capiunt, ex sententia eorum, qui indistinctè hoc privilegio eas juvari volunt, sive oppressio metuatur sive non. *arg. d. l. un. ibi: præsertim cum alicujus potentiam exhorrescunt.* Quæ verba alium etiam casum implicant; dictio enim præsertim est implicativa, & includit casum diversum magis dubium, idemque importat quod dictio maximè. *Cardin. Tusc. Pract. Concl. lit. D. Concl. 309. n. 5. 9. & 10.* Ita *Carpzov. in proc. jur. tit. de foro competent. art. 6. §. 1. not. 2.* Sane personis hisce in gradu eminentiori constitutis hoc privilegium negasse videtur propria earundem superstitione, utpote quarum sensu injurium videtur, pro miserabilibus personis eas reputari. *Carpz. d. l. n. 28.* Utut sit, si natura privilegii hujus ex his quæ jam dicta sunt consideratur, nec hic vim ejus cessare reor. Cæterum, cum moribus & statutis Patriæ in Ducatu Clivensi & Comitatu Marcano huic rei per specialem constitutionem de Anno 1670. à Serenissimo Electore nostro abunde provisum sit, disputationis nostræ utilitas eateus cessat: tantum operæ pretium fuerit, pro meliori juris veteris & novi intelligentia ipsa Constitutionis verba huc transferre. *S. Damit auch. ita habet. Es soll niemandt hinführo / sub specie miserabilitatis personarum, des privilegii l. un. C. quand. imp. int. pup. genießen / als allein / welchen solches beneficium, vermöge gemeiner Rechten / und*

und in specie in Krafft jeh angezogenen legis compe-
tirt / welche in *d. l. nominatim* benennet werden; nem-
lich erstlich die Pupillen, zwentens die Wittiben / und
drittens die jenige / so durch langwierige Kranckheit da
nieder liegen / wie dan auch denenselben dieses privile-
gium in personalibus, und nicht in realibus zu statten
kommen solle; Wan aber gedachte Wittiben / Pupillen
oder Krancken reich und vermögend / oder auch / wan
andere vermögende Partheyen dergleichen privilegirte
confortes unter sich haben / so sollen / unter solchen vor-
wand / die sachen von den instantien nicht abgezogen wer-
den / doch daß an den untergerichtern in dergleichen sel-
ten schleunig recht administrirt werde. Haftenus ver-
ba Constitutionis Electoralis.

VII.

Restarent aliæ non ab similes privilegiatæ exce-
ptiones, quæ actorem ab observatione regulæ gene-
ralis liberant; verum ne justò longius in prolego-
menis hæreamus, pluribus consultò omissis, aliis im-
pertinentibus sepositis, coronidem tandem genera-
lioribus præmittendis impono hac regula. Quando
Reus in pluribus locis habet forum, in potestate a-
ctoris est, quo libet loco, actionem instituere. *l. 19. §. ult. ff. de jud. l. 2. §. Scævola. 3 ff. de eo quod cert. loc. ubi generaliter definitur, petitorum habere electionem, ubi velit petere. Mev. P. 6. Dec. 9. Struv. Ex. 9. th. 26. Zang. tr. de except. part. 2. cap. 13. n. 20. part. 3. t. 26. n. 208. Ratio, quia cunctæ illæ leges, quæ actorem forum rei sequi volunt, nihil ultra ab eo postulant, quàm ne ad suum forum reum pertra-
hat, cui utique etiam satisfacit, electo licet inter duo
rei fora alterutro. Addatur Gilh. arb. jud. civ. p. 2.*

B

6. I.

c. 1. §. 1. n. 23. & seqq. Limita (1) tantum procedere, quando reus habet plura fora ex jure communi; quod si enim alterum ex jure speciali ei competit, electione actoris hoc ei adimi nequit. Limita (2) non procedere, si agatur de reddendis rationibus, quod non alibi fieri potest, quam in loco, ubi negocia gesta, nec actor potest administratorem invitum ad judicem domicilii, aliumve communem, trahere. l. 1. & tot. tit. C. ubi de ratiocin. Limita (3) in casu *Auth. Habita. C. ne fil. pro patre*, quæ competentis studioforum fori hoc proprium esse ait; ut Studiofo convento detur electio, an coram Rectore Academiae, an coram Civitatis Episcopo conveniri malit. Richt. in expos. d. *Auth. p. 3. memb. 3. pag. 137.* Hinc, licet alias regulariter favorabile actori sit, si plures reus habeat judices, id ipsum tamen fallit in speciali casu, quo reo datur electio. Quæro, si actor primò unum forum elegit, num postea, poenitentia ductus, variare possit? Resp. Neg. arg. l. *hujusmodi. 84. §. Stichum. 9. ff. de leg. 1. l. 75. ff. de reg. jur.* ubi, qui semel elegit, voluntatem suam mutare nequit. Quod hic eo fortiùs procedit propter exceptionem litis pendentis, quæ reo competit contra actorem, alio in foro agere volentem. Adde, quod malitiis hominum non fit indulgendum, quibus tamen persæpe locus foret, si diversimoda & fluctuante semper actoris electione, decisio litis impediri posset; quod quoniam non patiuntur leges in reo, text. in l. 3. §. 1. ff. de eo quod cert. loc. eo minus ratio est, quare actori permitti debeat.

VIII.

Perlustratis ita, quantum quidem per materiae prolixitatem

lixitatem licuit, definitione, divisione, & reliquis
 præambulis scitu necessariis; consequens est, ut spe-
 cialius causas, ex quibus quis forum sortitur, sum-
 matim colligamus. Centum & novendecim ordine
 alphabetico exhibet Socin. *in tit. de foro competenti x.*
 neque tamen omnes. Nos, faciliori methodo, princi-
 paliora saltem prosequemur capita, quæ vel ex jure
 communi, vel aliquo peculiari repetimus. Ex jure
 communi considerata sunt forum domicilii, con-
 tractus, delicti, rei sitæ, & quod ex continentia cau-
 sarum oritur. Forum domicilii fundatur in *l. 19. §.*
ult. ff. de judic. l. 2 de reb. aut. jud. c. 8. x. h. t. Nihil
 hic, saltem effectu, interesse reor, sive patriam domi-
 cilio separatim considerato opponas, & illam in com-
 munem vel propriam seu originis divides, cum Stru-
 vio, sive domicilio prius in commune & privatum
 dissecto, hoc rursus in originis & habitationis dispe-
 scas cum Donello & Vultejo. Hoc supposito, ex ju-
 re Justiniano patria communis erat Roma; cui con-
 sectarium, quod quisquis, etiamsi alio in loco domi-
 cilium, vel originis vel habitationis constitutum ha-
 beret, jure ibidem, si reperiretur, conveniri posset.
l. 28. §. 4. ff. ex quib. c. maj. l. 33. ff. ad munic. nec ul-
 lus sese huic judicio subtrahere poterat; nisi speciali
 privilegio munitus domum revocaret, de quo fusè
 differentem inspice textum *l. 2. ff. de judic.* quo ipso
 etiam privilegium revocandi domum variis modis re-
 stringitur. Sed an hodie Sedes Imperatoria, Curia
 Imperialis, vel judicium Camerale sit commune &
 generalius subditorum domicilium, quæri posset?
 Affirmat Mejer. *de judic. thes. 204.* ubi ex aliis refert,
 in Gallia apud octo curias majores, Parlamenta vul-

gò, in Hispania apud quatuor curias, in Republica Veneta apud quadraginta viros hodièdum etiam commune domicilium cerni. Sed de Imperio nostro Romano-Germanico rectius negat Struv. *Exerc. 9. thes. 15.* propter jus primarum instantiarum, *Cammerg. Ord. part. 2. tit. 1. Reichs Absch. de Anno 1654. S. Venebens sollen. 105.* Et sane, inepta videtur decisio Mejeri, dum Patriam Communem limitat in casu, quo reus privilegio aliquo gaudet, vel jus revocandi domum habet: Privilegium enim & jus revocandi domum, s. ad primas instantias, omnes regulariter habent. Ex quo liquidò infertur, tale commune domicilium, quale olim Roma erat, hodiè non obtinere. Plane quin ipsa Roma, quæ jam dudum & privilegiis & majestate veteri excidit, hoc jure communis Patriæ amplius non gaudeat, extra dubium pono cum eodem Struv.; nisi Pontifici generalissimam in singulos jurisdictionem tribuere cordi sit, de quo vid. *c. fin. x. h.*

IX.

De domicilio privato major incidit controversia, pro cuius enucleatione solida initium facio à domicilio originis, quod naturale aliis vocatur, locum ei constituens hunc, ubi cujusque pater natus est, *l. 6. S. 1. ff. ad munic. l. 3. C. de munic. & orig.* neque enim magis ex persona propria quam parentis hoc domicilium constituitur. *l. Cives 7. C. de incolis. l. 1. S. 2. ff. ad munic.* Parili plane ratione, ut in electione Imperatoris Romani etiam illum Germanum esse volunt Scriptores juris publici, qui patre Germano, licet extra Germaniam, natus est. Videamus nunc, unde domicilii constitutio æstimetur, ad quod plenius

nius intelligendum, definitionem domicilii præmit-
to hanc: *Domicilium est locus, in quo quis habitat eo
animo, ut ibi perpetuò consistat, nisi quid avocet.* Non
ex sola habitatione, *l. 17. §. 5. & 13. ad mun.* nec ex
solo animo domicilii translatio arguitur: propositum
enim in mente retentum nil operatur arg. *l. 7. C. de
cond. ob. c. dat.* sed animus habitationi junctus, per-
fectam demum efficit, domicilii vel constitutionem,
vel mutationem. *l. 20. ff. ad munic.* Hic animus factò
conjunctus ab allegante constitutionem domicilii pro-
bandus; Ratio, quia in dubio domicilium proprium
in loco originis præsumitur, vide *l. 3. C. de municip.*
Ratio rationis, (1) quod mutatio non facile præsu-
matur. *l. 11. ff. fin. reg. l. eum qui. ff. de probat.* (2)
Quod in eo statu quodlibet esse præsumatur, in quo
antea fuit. (3) Quod forum domicilii sit accidentale;
accidentia autem non præsumuntur, sed probanda.
Quoniam igitur triplex contra allegantem est præ-
sumtio, constans est Interpp. opinio ei etiam proba-
tionis onus incumbere. Cui amplius accedit hoc,
quod ejus solius vertatur interesse in probatione, qui
in foro domicilii reum convenire vult.

X.

Probatio hæc fit, vel maximè, ex eo, quod apertè
quis protestatus sit, se domicilium transferre velle,
idque re ipsa secutum sit, qua de re concordantes in-
venies Dd. apud Masc. *de probat. concl. 534. n. 3. &
18.* nec ratio in obscuro; propria siquidem confessio-
ne nulla datur firmior probatio, adde *l. 20. ad munic.*
Protestatione hac omissa, ex circumstantiis & præ-
sumtionibus animus hic eliciendus; Ubi enim certæ
& apertæ probationes desunt, ad verosimiles conje-

B 3

cturas

Eturas confugiendum esse, habet commune Pragmati-
 corum Brocardicum. Secundum quod, etiam ibi
 conveniri aliquem posse, dicimus, ubi præsumtivè
 domicilium habere voluit, per *l. 7. C. de incolis*. In-
 ter præsumptiones has cæteris certior habetur, si quis
 in aliqua civitate jus civitatis, *das Bürgerrecht* / im-
 petravit; hanc enim impetrationem insecuta habita-
 tio, plenissime animum habitantis declarat. Alia con-
 jectura desumitur ex eo, quod quis majorem bono-
 rum & fortunarum partem aliquo in loco constitue-
 rit, *l. 2. C. ubi senat vel clariss. l. 19. §. 2. ff. de judic.*
l. cives. 7. C. de incolis. à qua non multum ablu-
 dit tertia, quando quis alicubi assiduè cum hominibus
 versatur, & larem ibidem fovet, *d. l. 2.* Quantum
 autem temporis requiratur, ut ex assidua conversa-
 tione animus iste præsumatur, disputant Dd.? Re-
 ceptior opinio est, decem annos sufficere *ex l. 2. C. de*
incol. non quidem ad domicilium constituendum,
 sed in dubio probandum. Per se, ut tempus non est
 modus introducendæ obligationis, *l. 44. §. 1. de O.*
& A. ita nec constituendi domicilii, quod ita exten-
 dit Umm. *de for. comp. thes. 1. n. 6.* ut nec mille an-
 nos sufficere statuatur; tempus enim, vel centies mul-
 tiplicatum, ad animum constituendum insufficientis
 est. Alii arbitrio judicis hoc relinquunt, qui, pro
 qualitate causæ & personæ, modo longius, modo bre-
 vius tempus statuet. *arg. l. 1. ff. de jur. deliber.* Sane,
 rectè inspectâ *l. 2. C. de incol.* patebit, nullam ibi de-
 finitionem temporis contineri: & cur non diceremus,
 illud decennium ex specie facti desumptum, in *d. l.*
 memorari? Certè verosimilius id videtur, quam si
 10. annos præcisè in hac præsumptione exigamus.

XI. Quar-

XI.

Quarta conjectura est, quando alicui talis obvenit conditio, ob quam perpetuo in loco commorari necesse habet. Sic Senator in Urbe Romana censetur domicilium habere. *l. 22. §. 6. ff. ad mun.* Miles, ubi meret. *l. 23. §. fin. eod.* Clericus in loco beneficii, quod residentiam requirit. Quinta conjectura domicilii contracti est matrimonium; qua enim in civitate matrimonium quis contraxit, in eadem etiam domicilium constituisse censendus est. *l. 1. §. 2. ff. de agn. liber.* Cui consequens, quod, si maritus in domum mulieris intret, ibi etiam domicilium constituisse censeatur. Carpz. *Proc. art. 1. de for. compet. n. 18.* Struv. *Exercit. 9. thes. 28.* Mulier autem, eo ipso quod marito nubit, & individuum ei vitæ consuetudinem promittit, non tantum domicilium cum marito idem sortitur, *l. ult. §. 3. ff. ad mun. l. ult. C. de incol.* sed omnium etiam ejus honorum, dignitatum, aliorumque, quorum sui natura capax est, jurium particeps redditur. *l. 13. C. de dignit.* Imò, non tantum vivente, sed etiam mortuo marito forum retinet *l. fin. C. de incol. l. 22. §. 1. ff. ad munic.* nec tantum forum retinet, sed de cæteris etiam, quæ qualitas personæ marito viventi peculiaria tribuisse, & mors morienti abstulisse videbatur, quasi in locum mariti succedens, participat. *dd. II.* Quod ita velim intelligas, quousque in statu viduitatis manserit; eo enim per secunda vota seposito simul extinguuntur singula à priori matrimonio dependentia jura, & mulier rursus participat de qualitate & statu secundi mariti, *l. fin. C. de incol. l. 13. C. de dign. d. l. 22.* utpote in quem fidem inviolabilem, quam vidua hæte-

nus

nus priori marito servaverat, ipso cum corpore trans-
tulisse, & sponte privilegii prioris mariti, in eam,
quousque viduitatis fidem ei servaret, derivandis,
renunciassse censetur. Ex his facile decidi potest quæ-
stio, ubinam dos, ab uxore marito data, repeti de-
beat? Nimirum in loco, & secundum jura loci do-
micilii mariti. *l. 65. ff. de judic.* Ratio est, quod mu-
lier, relicto priori, tum originis tum habitationis,
domicilio, *l. f. ibi: domicilia. C. de incol.* plene in do-
micilium mariti transeat per matrimonium, cujus se-
quela est dos.

XII.

Certum nunc est, conjecturis posse probari ani-
mum habitandi, illud incertum num hæ conjecturæ
simpliciter probent, ita ut contrarium probare vo-
lens non audiatur? Dico quod non; quæ enim ad
certum finem introducta sunt, non debent operari
ejus contrarium. Atqui conjecturæ hæ ad demon-
strandum animum paratæ sunt. Ergo, posito casu,
quo de contrarie animo initio protestatur inhabi-
tans, aut aliunde de eo constat, conjecturæ hæ nul-
lius erunt momenti. In summa, non ponunt conje-
cturæ animum, sed probant; quod autem non est
probari non potest. Argumentum à milite supra al-
latum, ad studiosum, qui studiorum causa, mercato-
rem, qui mercaturæ & distrahendarum mercium cau-
sa, præfectum vel officialem, qui ratione officii ali-
cubi ad tempus moratur, minus rectè applicatur
contra *l. 2. C. de incol. l. 19. § 2. ff. de jud. arg. l. 26.
de capt. & postl. rev. junct. l. 20. ff. ad mun.* Ratio,
quia in his deest animus: principale domicilii consti-
tuendi requisitum. Non ignoro equidem familiarem
& fre-

& frequentem usum argumenti à milite armato ad togatum, ex *l. Advocati 14. C. de advoc. div. judicior.* Similitudinem item, quæ est inter militem, studiosum, mercatorem & præfectum; Verum, quin hic applicari possint, non tantum expressi textus, sed & apertæ dissimilitudines, inter utrumque genus, prohibent: Adde, quod nec semper in milite illa præsumtio tenet, sed tum demum, quando nihil in patria possidet; hoc casu etenim non potest dici ad certum tempus duntaxat, in loco ubi meret, morari velle; quia scilicet: domicilium alibi constitutum nullum habet. vid. *l. 23. §. 1. ad Municip.*

XIII.

Porro observatu dignum, quod concordi calculo tradunt Dd., Consiliarium Principis, in urbe 10. aut plures annos degentem, domicilium non contraxisse; ex sola hac ratione, quod animus habitandi desit in eo, qui non nisi ad tempus, & consiliorum causa certo loci moratur, quibus finitis inde recessurus est. Quod & hodiè verum adhuc putem, & si quando obtigerit, consiliarium eodem in loco, ubi officii necessitate degit, conveniri, ratio ejus non ex constitutione aliqua domicilii, nisi de ea constet, sed ex alio capite, forte quia speciale forum coram Principe habet (ut de nostris Consiliariis infra dicetur) repetenda veniet. Profectò in dubio nemo beneficio primæ instantiæ renunciasse censetur, eo minùs hoc in casu; quia hoc modo contingeret officium suum alicui esse damnosum; facit, quod Consilarii in causis privatis, & extra officium considerati, privatorum etiam jure utantur. Atqui in abstracto, & remoto officii respectu, eos hic considerari debere inde apparet,

C

ret,

ret, quod officium solum ad constituendum forum
insufficiens est.

XIV.

Forum domicilii est generale, nec tantum per se
competentiam inducit, sed & cum aliis specialiori-
bus concurrat; quacunque etiam actione actor agere
intendat; cujus ratio bonam partem dependet ex ju-
re electionis, quod actori, inter diversa rei fora,
competere jam tum supra asseruimus. Et haecenus
quidem in terminis generalioribus nulla Doctoribus
controversia, caeterum in casu, quo actio realis ab
actore intenditur, totam Dd. Scholam in se concita-
vit Donellus, contendens, rei vindicationem non nisi
in loco Rei sitae institui posse, nec in arbitrio actoris
esse, utrum reum in foro domicilii convenire velit,
nec ne. Fundamenta ejus passim à Dd. refutata vi-
deas. Sanè superioribus ea plane non conveniunt;
nec enim generalitas hujus fori, hoc in casu, sublata
ullibi apparet. Quid, quod expressus textus in *l. ult.
C. ubi in rem act.* Donello contrariatur, de quo latius
Vinn. 1. *select. jur. qq. c. 18.* Vagabundi agmen clau-
dant: hi nullibi fixum licet, ubivis tamen domici-
lium, effectu juris, habent, & ratione ejus fori gene-
ralissimi conveniri possunt, ubicunque reperiuntur, &
exceptio incompetentiae, nisi praestita prius cautio-
ne de respondendo in loco originis, (domicilium e-
nim non habent vid. *l. 27. §. 2. ff. ad municip.*) planè
eis denegatur; etsi enim alias invitus nemo in loco
originis conveniri potest, si ibidem non reperitur,
tamen per obliquum id hic admissum; vagabundus
enim, licet ubique forum sortiatur, nec de incom-
petentia excipere possit, tamen, si asserat se alibi in
loco

loco originis forum habere, auditur, & cautione præstita eò dimittitur conveniendus: in subsidium etiam, quando vagabundi in loco originis non comparerent, edictaliter citantur, vid. *Clem. 1. de judic. c. statuimus. x. de off. del. in 6. Clem. un. de for. compet.* vel citatio bonis eorum, si quæ habent quasi affigitur, curatore, qui eos defendat constituto.

XV.

Forum contractus fundatur in *l. 19. § 1. & 2. l. 36. § ult. de judic. c. fin. x. h. t.* Contractum hic sumimus generaliter, ita ut quasi etiam contractum comprehendat, per text. *l. 1. C. ubi de ratioc. publ.* (quamquam non negem aliud etiam speciale forum, *d. l. junct l. 45. pr. de jud. l. 54. § 1. ff. de procur. contineri*; forum scilicet Administrationis.) Locus contractus nobis erit is, in quo contractus perfectè celebratus. *l. 19 § 1. & 2. l. 20. l. 45. pr. de judic. c. Romana. §. Contrahentes. de for. comp. in 6.* Et quidem, si contractus sine scriptis habitus, res per se manifesta; reus enim ibi conveniendus, ubi contractus utriusque consensu perfectus est, quia & in eum locum destinata solutio censetur; nisi in alium locum expresse collata sit, *l. 19. § ult. h. t. l. 21. ff. de obl. & act. l. 3. ff. de reb. aut. jud. poss.* qui, etsi locus contractus propriè dici non possit, ex dispositione tamen legali & interpretatione prudentum, non absurdè pro eo, ad effectum conveniendi, habetur. At quis locus contractus censendus si instrumentum super contractu confectum? Distinguendum censeo, an instrumentum probationis loco tantummodo, an & perfectionis gratia à partibus adhibitum; priori casu, cum instrumentum per se ad essentiam contractus,

ctus, jam ante communi consensu confirmati, nihil
 faciat, *arg. l. 39. ff. de Obl & Act.* eadem cum præ-
 cedentibus erit decisio; Posteriori verò casu, quia
 contractus non aliter est perfectus, nisi & instrumen-
 tum fuerit conscriptum, & à partibus subscriptum,
 testante Imperatore *in princ. Inst. de emt. vend. l. 17.*
C. de fide instrum. is locus contractus censendus erit,
 ubi scriptura contractui perfectionem dedit. Ratio-
 nis loco hic servire possunt ea, quæ generaliter à Dd.
ad dict. princ. traduntur, & eleganter repetit Ant.
 Fab. *in suo Cod. lib. 4. tit. 15. def. 23.*

XVI.

Non minùs pulchræ est quæstionis, si in uno loco
 contractus factus, in alio confirmatus, æquis locus
 contractus sit censendus. Gail. 2. *Obs. I. n. 4.* putat,
 locum confirmationis hic nullatenus considerandum,
 ex eo principio quod confirmatio nihil innovet *cap.*
cum dilecta 4. vers. nos igitur, x. de confirm. utili vel
inut. c. quia intentionis 29. x. de privileg. quo etiam
 facere putat *l. 8. ff. de judic.* Rectius, meo iudicio,
 distinxeris, an confirmatio illa sit voluntaria, an ne-
 cessaria. De illa, cum primæ introductioni & dationi
 æquipolleat, ut Dd. passim conjiciunt ex *l. 130. ff.*
de verb. sign. falsam puto generalem Gailii conclusio-
 nem, & de hac saltem admitto; quoniam & allatæ
 ab eo rationes huc solum quadrant. Ex *l. 8.* quam
 pro se adducit Gail., eòsque nihil probatur, donec
 priùs edoctum sit, constitutum ad confirmationem
 contractus principalis pertinere: cujus occasione ge-
 neraliter notare debui, quod in constituto, quoad
 competentiam fori, attendatur ipse contractus prin-
 cipalis, quem constitutum per modum accessorii se-
 quitur.

quitur. *d. l. 8. & arg. l. 33. ff. de donat.* Sed de eo videlicet Struv. *Ex. 9. thes. 44. Umm. disp. 4. th. I. n. 5.* qui argumento constituti, & ob paritatem rationum, idem applicat ad fidejussorem, quod displicet Hering. *de fidejuss. c. 23. n. 9. & seqq.* Quæro, si in alio loco contractus factus, in alio confirmatus vel instrumentum super eo confectum, in alium denique solutio collata, uter prævaleat? Resp. locum solutioni destinatum prævalere.

XVII.

Cum forum acquisitum ex contractu non tollat forum domicilii generale, sed forum foro accumulet potius, certum efficitur, reum in foro domicilii ita conveniri, ut rectè etiam conveniri potuisset in hoc foro contractus, quod & suprà inculcatum est, sed tamen actione in uno loco introducta, ob litispendentiam postea variare & ad alterum provolare forum non licet; Nunc illud dubitationem non exiguum, propter variationem Interpp., recipit: an, & quatenus debitor possit in loco contractus conveniri, si ibi non reperiatur. Equidem Ulpianus in *l. 19. §. 1. ff. de judic.* respondit, eum qui tutelam, curam, aliudve quid, ex quo obligatio oritur, certo loco administravit, ibi se defendere debere, & si non defendat, neque domicilium habeat, bonorum pati immisionem. Ex quo textu, juncto principio ejusdem legis *c. 1. §. contrahentes de for. compet. in 6* & aliis concord. breviter duos separo casus; primus est quando debitor conventus in loco contractus reperitur, alter quando ibi non reperitur. Quoad primum res expedita, nam non tantum ratione domicilii si quod ibi habet, sed etiam ratione contractus competentia

judicis fundata est. De altero major est altercatio; Quidam enim, nulla adhibita distinctione, generaliter reum in loco contractus conveniri posse volunt, licet ibi non reperiatur. *arg. l. 19. §. 1. de judic. Nov. 69. c. 1. §. 1. junct. l. 2. ex q. c. in poss. eat.* Alii contrarium secuti inter sese tamen differunt, quibusdam inter jus Canonicum & Civile distinguuntibus, aliis hanc differentiam negantibus. Nos eorum probamus opinionem, qui jus Canonicum & Civile (inter quæ sine necessitate inevitabili contrarietas non statuenda) hic parum distare ajunt: Nempe, quod jure Canonico sub *tit. de for. comp. in 6. c. Romana. §. contrahentes.* traditur, ne rei in loco contractus haud iuveni inviti eo trahantur, id in Jure Civili, bene ponderato principio & *§. 1. sæpius alleg. l. 19. de jud.* pariter reperire licet. Unde summam hanc extrahimus, reus in loco contractus non repertus, eo tamen per subsidium citatus, exceptione incompetentiæ forum declinare potest, nec ad ullam contra eum, velut contumacem, personalem pœnam (excommunicationis putà vel Banni *c. 1. x. de judic.*) procedi potest; si tamen bona in loco contractus sita habet, & citatus auctoritati judicis, non opposita exceptione incompetentiæ, parere negligat, missio ex primo decreto in ea decernitur; quoniam quoad effectus bona respicientes se ibidem defendere debet, & hæc sententia communi Dd. calculo & quotidiana praxi est nobilitata. Moribus patriis hoc amplius statutum, ut si qui nostrorum Nobilium, exteros, itidem Nobiles, ex mutuo aliove contractu obligatos teneant, ipsis arrestum in bona hic sita petere liceat. Landtags Absch. de Anno 1660. §. Damit aber ic. quo textu etiam

etiam non distinguitur ubinam contractus sit celebratus.

XVIII.

Hæc vera sunt; nisi primò reus malitiosè faciat, quominus citatio ad se perveniat; tali etenim casu, ut malitiis debitorum obvietur, jure Canonico provisum est, ut missio etiam possit decerni in bona, quæ in alia Diœcesi habere noscuntur; hac tamen conditione, ut Diœcesanus loci, ubi bona sita, missionem in bona faciat. *c. Romana. §. contrahentes de for. comp. in 6. arg. l. 3. §. 5. ff. ex q. c. in bon. poss.* quod cum per modum specialis exceptionis, quæ regulam firmat in casibus non exceptis, referatur in *d. canone*, patet errare eos, qui indistinctè putant, in bona alibi sita missionem fieri posse. Secundò, nisi debitor in casum moræ se ad sistendum personaliter in loco contractus obligavit; tunc enim, non attento eo, an ibi reperiat nec ne, nihilominus citari potest ut se iudicio sistat. *conf. c. ex rescripto 9. de jurejur.* Ubi altercationis ferram inter se reciprocant Interpp., à quo citatio facienda sit, aliis à parte iudicis domicilii, aliis à parte iudicis contractus stantibus. Nos non minùs veram quam tutam dicimus eorum sententiam, qui ad iudicem domicilii punctum citationis ablegant; nil moventibus iis, quæ de prorogatione jurisdictionis tacita, pro iudice loci contractus, hic disputant Diss., quæ vel hoc solo evertuntur, quod prorogatio jurisdictionis expressa, expressum etiam consensum, & quidem non simplicem, sed aditione iudicis firmatum. *l. pen. C. de pact. l. 18. ff. de jurisd.* Tacita vero litis contestationem ejus, qui litem aliàs declinare posset, desideret. *l. 4. C. de*

C. de jurisd. Planè, licet judicem domicilii pro citatione requirendum statuamus, non tamen inde sequitur in contractibus regulariter remissioni esse locum, quo nihil absurdius est. vid. *Nov. 69. c. 1.* nec quod specialis ratio delictis proprium fecit, ad contractus commodè applicatur. Ab hac exceptione vix differt alia, quando foro domicilii est renunciatum; hoc enim quin Reus facere possit, dubium non est, apertâ *l. pen. C. de pact. & rectè*; quia & jus Canonicum *in c. 1. §. contrahentes. de for. comp. in 6.* invitos saltem ad locum contractus trahi vetat. De consentientibus igitur, & juri suo sponte renunciantibus secus dicendum; maxime interveniente juramento. *Auth. & qui C. de bon. aut. jud. poss. c. cum contingat. 28. x. de jurejur.*

XIX.

Quarta exceptio, quam & suprâ attigimus, est, si quis negotia, sive publica, sive privata, administravit *l. 1. 2. C. ubi de ratioc. l. 19 §. 1. ff. de jud. Carpz. tit. 3. art. 6. §. 4. Mev. part. 5. decis. 298. Wesenb. ad tit. Cod. ubi de ratiocin.* qui, præter sup. allegg. uno omnes ore docent, rationes non alibi reddendas esse quam in loco administrationis. Scilicet concurrat hic cum quasi contractu ipsa administratio, quæ natura sui decisionem in loco administrationis postulat, non tantum ideo, quod ratiocinia plerumque fiant de rebus in eo loco sitis, ut ex *Guid. de Cun. in l. 1. C. de Cur.* refert & sequitur *Zang. p. 2. c. 1. n. 189.* sed etiam, quoniam acuratio cognitio de administratione & diligentia administrantis haberi potest, ubi res gestæ quam alibi, quæ ratio movit *Carpzovium*; ut reum invitum in foro domicilii alias generali, conveniri

veniri posse negaverit, cum aliis quos allegat. *in Proc. tit. 3. art. 6. n. 42.* Quinta exceptio est in herede, qui iudicio à defuncto in loco contractus cœpto, causam ibidem reassumere tenetur, licet præsens non sit; cum per omnia defunctum repræsenteret *l. 34. ff. de iudic. arg. l. 30. eod. l. 59. ff. de reg. jur.* Plures exceptiones collegit Socin. *in c. dilecti. n. 40. & seqq.*

XX.

Hactenus de iis casibus, quibus absens etiam in loco contractus conveniri potest, utiliora nobis notata sunt, nunc & alii dantur, qui locum contractus incompetentem planè efficiunt. Primus est conventio partium. Fundamentum habet in *l. 19. §. 2. ff. de iud.* Secundus, quando quis contraxit cum mercatore statim discessuro, qui tabernam nullam in loco contractus habet. De iure Civili res certa ex *l. 19. §. 2. & 3. ff. de iud.* ex qua infert Carpz. *Process. tit. 3. art. 2. §. 2. n. 19.* eum, qui in loco contraxit, si postea hunc locum transeat statim discessurus, conveniri ibi non posse; quia propter subitum discessum advenæ non absimilis videtur, quod in medio relinquo. De iure Canonico, ob generalitatem *c. Romana. §. contrahentes. de for. comp. in 6.* litem aliqui movent. Cæterum consideratis iis quæ habet Steph. *de Phe- der. tract. de interp. ll. p. 2. c. 34 pag. 163. & seqq. p. ult. pag. 228. & in disputat. sua inaug. de interpret. jur. §. 6. de forma & mod. interp. n. 95.* ex aliis repetit Avus p. m. Joannes à Dieft. Primò, quod correctio legis, quantum fieri potest, sit vitanda *l. 32. in f. C. de appell.* nec unquam inducenda, quoad leges aliqua distinctione juvari possunt. *Not. c. cum expediat. 29. de elect. & elect. pot. in 6.* Secundò, quod

D
casus

casus omissus remaneat sub dispositione juris communis. Tertio, quod lex generalis speciali non deroget *l. 80. ff. de reg. jur. nemo*, opinor, adeo temere discordantiam inter hæc jura statuet. conf. Zang. *p. 2. c. 1. n. 124.* Declaratur hic casus non procedere, si contrahens nesciebat alterum esse viatorem v. g. quod habitum peregrinatorium deposuisset. (2) Si verosimilis alterius intentio refragetur. Tertius, ex jam allatis huc reduci potest, quando dos accepta, quæ in domicilio mariti, non in loco contractus redditur, quoniam solutio in hunc non destinata. Facit, quod actio, pro dote repetenda, mortuo marito demum nasci videatur, quod urget Bach. *ad tit. de judic.*

X X I.

Forum delicti invenio in *l. 3. ff. de off. præf. l. 7. §. pen. l. f. ff. de accus. l. 7. ff. de cust. reor. tt. C. ubi de crim. ag. oport.* Quo igitur in loco quis deliquit, in eo Magistratus læsi jurisdictioni subjacet: nec tantum ibi, sed ubicunque reperitur *l. 1. C. d. tit. quam legem perperam quidam ad vagabundum restringunt; omnes enim delinquentes quam primum poenæ subijci publica postulat utilitas. Bachov. ad Treutt. vol. 1. disp. 3. th. 8. lit. F.* Jus domum revocandi nullum sibi hic vindicat locum; *l. 1. C. ubi sen. vel clar. auth. qua in Provincia. C. ubi de Crim.* indignus quippe est beneficio legis, qui contra legem peccat. Alia ratio est, quæ jus domum revocandi tollit in foro contractus, de quo vide *l. 2. §. 4. l. 19. §. 1. & 2. l. 25. l. 45. de judic.* Limita prædicta in milite delinquente, qui remittendus est ad eum, sub quo militat, *l. 9. ff. de cust. reor.* quod idem in studioso volunt: non adeo accuratè ex ratione juris, si de delicto communi loquamur;

quamur; neque alia est sententia alleg. l. 9. quam de delicto militari intelligendam esse evincitur ex l. fin. ff. de accus. Quin inauditum Legibus Civilibus est, è loco delicti aliquem ad aliud forum remitti, ut necessario non nisi de delicto militari d. l. accipi possit. In determinatione loci illud non minùs quæsitum ac controversum, ecquis locus delicti censendus sit, num ubi coeptum, an ubi consummatum est delictum? Nulla utilitas hujus quæstionis est apud eos, qui, uti consummatum, ita incoeptum delictum quoad competentiam fori attendendum sustinent. Struv. Exercit. 9. tb. 45. Ast ii forte ansam quærendi sumpserunt, qui vel locum delicti consummati saltem inspiciunt, vel veritatem rei, non considerato juris effectu, anxius inquirunt. His ergo ut satisfiat, in eorum castra transibo, qui per consummationem formam delicto addi, & revera delictum fieri censent. l. 9. §. 3. ad exhib. maximè, cum in delictis potius qualitas patientis quam agentis consideretur. l. 43. in pr. de rit. nupt. Theod. Petræ concl. crim. 19. lit. A. Non ineptè tamen distinxeris inter principium delicti præparatorium quod in animo saltem residet, & illud, quod partem etiam delicti constituit, pro quo adde ea quæ scripsit Harprecht. ad tit. Inst. de his qui sunt sui §. 1. n. 38.

XXII.

Succedit alia non minus ardua & practicabilis quæstio, quodnam sit forum delicti in finibus commissi? Illuc ferè concordibus votis itum, conjecturas hic sequendas esse; verum de modo conjecturandi non æquè hætenus transegerunt Interpp.; alii enim cognitionem ad eum judicem pertinere putant, in cu-

ius territorio caput occisi reperitur, aut, si ipsum etiam
 caput fines quasi territoriorum dividat, utrumque
 iudicem esse competentem, neque ratione destituun-
 tur. Textum plausibilem proferunt ex *l. 44. ff. de re-
 lig. & sumt. fun.* ubi Ictus locum cum tantum re-
 ligiosum fieri asserit, in quo caput, tanquam mem-
 brum hominis principale, quod cætera sequuntur,
 reconditum cernitur. Alii, acutiores sibi visi, nimis
 insubtile putarunt caput considerare in ea quæstione,
 quæ non à præstantia partis, sed ex circumstantiis de-
 cisionem recipit; igitur hi probabilius ad pedes re-
 currunt, qui licet per se in considerationem non ve-
 niant, in dubium tamen inde argumentum desumi
 putant; ubi enim violenta occisione quis terræ da-
 tus, ibi sine dubio pedibus stetit. Alii denique, si
 liquidò ex conjecturis de contingentia facti constare
 non possit, utrumque iudicem competentem pro-
 nunciant; & vel ita, ut præventioni locus sit, vel ut
 uterque concurrat cumulativè, quæ posterior senten-
 tia verior videtur Bachov. *ad Treutl. vol. 1. disp. 19.
 th. 4.* Anton. Matth. *de iudic. disp. 4. th. 13.* Strijck.
de iure sens. diss. 1. c. 1. n. 16. & seqq. quam eò liben-
 tius sequimur, quod praxin concordantem meruerit,
 teste Claro *§. fin. pract. crim. q. 38. n. 11.* Cautio ni-
 hilominus hic adhibenda, si ex manifestis signis ap-
 paret, corpus alibi occisi in fines à malitioso reo per-
 tractum esse Treutl. *d. l.*

XXIII.

Dixi reum in loco delicti posse conveniri, quod
 procedit etiamsi sit absens. arg. *l. 28. §. 15. de pæn.
 l. fin. ff. de accus. c. fin. x. de for. comp.* Carpz. *prax.
 crim. part. 3. q. 110. n. 45.* Modò tamen quæstio sit
 de

de delicto publico, cujus rationem accuratam adverte hanc, quod, etsi in loco delicti privati conveniretur absens, nihil efficeretur; quia remissio in his non habet locum, sed tantum in criminibus enormibus & publicis, *Nov. 134. c. 4: ratio in l. Capitalium. 28. §. 15. ff. de pæn:* in quibus idcirco etiam talis conventio non absque effectu est. Sanè, quicquid de jure Civili quoad necessitatem remissionis fuerit, de quo vid. *l. 7. §. ult. ff. de accus. l. 7. de cust. reor. Nov. 134. c. 5. Bach. ad Treutl. vol. 1. disp. 3. th. 8. lit. F.* moribus hodiernis, mutato reipublicæ statu, ubi par in parem non habet imperium, ea cessat, ut passim testantur practici. *Berlich. part. 4. concl. 45. n. 46. Harpr. tract. crim. de furt. §. 5. n. 85.* Uno saltem alterove casu excepto, v. g. si reus inquisitione jam formata, & sententia vel lata, vel jamjam ferenda aufugerit, neque tamen hoc casu ulla necessitas cogit eum, in cuius territorio degit delinquens; quin potius, literis reversalibus emissis, amicè id postulari solet, quibus literis obtentis diversi etiam territorii iudices haud difficiles in remittendo esse solent, quanquam sub eodem Principe frequentius remissiones fiant, quod & propius ad sensum juris Civilis accedit.

XXIV.

Quartum forum, quod ex rei situ natales suos repetit, fundamentum habet in *l. fin. C. ubi in rem act. et. C. ubi de her. ubi de poss. c. 3. & ult. x. h.* Per rem hic intelligitur non tantum immobilis, sed etiam mobilis, eaque non tantum certo loco permansura, sed quæcunque *l. fin. C. ubi in rem act. l. 38. ff. de jud.* qui & alii texx. nullum distinctionis vestigium exhibent, quin potius eam rejiciunt; quorsum facit, quod

D 3

contra

contra naturam hujus fori planè sit, ullum personæ respectum comminisci, cum ipsa res totum faciat; Unde efficitur nulli hic distinctioni locum esse, quod perperam voluere ii, quos & communis sententia, & consuetudo Germaniæ jamdudum destituit. Hæc ita dummodo actionem realem semper supponendam esse meminerimus, si enim personali actione res, quamvis immobilis, petatur, ad superius forum, vel contractus, vel domicilii, aliudve conveniens recurrendum erit. Tandem de interdictis, hereditatis petitione directâ & fideicommissaria, actione pro legato &c. remitto me ad speciales tit. Cod. hac de re conceptos. Umm *d. disp. thes.* 3. Struv. *thes.* 50. & 51. jungi poterit de Possessorio Edictum Electorale de *Ann.* 1675. *sub dato* 18. *Jan.* De eo fluctuat theoria & praxis, num Clericus propter bona sua secularia forum rei sitæ competens habeat coram iudice Laico? Affirmativam tuentur Practici pondete & numero non exigui, & ex Cameralistis Gail. & Mynf. Ille. *1. O.* 34. *n.* 4. *Hic.* 4. *O.* 95. ubi adstipulantem sibi Cameram proferunt. Rationem ponunt, quod hic non persona: nisi per consequentiam: sed res ipsa in considerationem veniat, *arg.* §. 1. *de act.* Unde privilegium personale hic non debet inspicere; quod & nominatim hoc in casu dispositum in *c. sane.* 3. *c.* 5. *x. h.* Diff. Socin. per varios textus in *c. sane.* *x. h. n.* 10. Præcipui sunt *c. si Clericus.* 5. *c.* 12. *x. h. l. fin. de jud. Auth. statuimus. C. de Episc. & Cler.* quibus non attentis praxin hæctenus non derelinquimus & progredimur ad

XXV.

Quintum forum, quod de continentia causarum
in scri-

inſcribitur. Evidentes habet, quibus nititur, tum textus, tum rationes. Textus in qualibet ſpecie occurrunt. Add. *Rec. dep. An. 1600. S. Bey unſerm Cammergericht* 2c. 23. & ſeqq. Ratio eſt deprompta ex utilitate reipublicæ cujus intereſt lites abbreviari *l. properandum. C. de judic. princ. inſt. de uſucap.* abſurdum etiam viſum, ea, quæ una eademque ſententia determinari poſſent, ſcrupuloſè per diverſa judicia & multas inutiles ambages divagari. Imò etiam malitiis hominum *c. ult. de reſcr.* & contrarietati ſententiarum per hoc providè obviatum eſt. Continentia hæc in tria genera methodicè diſpeſcitur: Conventionis, Reconventionis & Interventionis. De ſingulis breviter agendo, ad illam refero primo continentiam cauſæ, quæ oritur ex pluralitate perſonarum: Quando enim plures perſonæ diverſis juridiſtionibus ſubjectæ ejusdem rei ratione conveniri debent, conventio ea non coram diverſis iudicibus, quod maximo ſane actoris incommodo & ſumtibus fieret, ſed coram omnium ſuperiori inſtitui debet, ne continentia cauſæ dividatur. text. valdè notab. in *C. fin. x. de reſcr. l. 1. de quib. reb. ad eand. jud. l. 10. C. de jud. l. omnes. arb. tut. Manz. in tract. rat. de tutel. p. 2. tit. 3. q. 7.* quod verum putem, ſi rei conveniantur actione perſonali; hic enim impoſſibile eſt aliudquam ſuperius competens forum invenire. Secùs in actione reali, quæ quo minùs in loco rei ſitæ, miſſo ſuperiori, intentetur, nulla ratio obſtat. Vid. *Umm. diſp. 4. n. 21. Zang. de exc. p. 2. c. 1. n. 371. & ſeqq.* Falſum etiam puto, tutores plures coram omnium ſuperiori iudice conveniri debere, imò, ſi nolunt, inviti à foro adminiſtrationis abſtrahi non poſſunt, ſed
rationes

rationes ibi discutiendæ veniunt, ubi negotia gesta; nisi diversis in locis gesta, quo casu causæ continentia omnes ad superiorem judicem trahit. Eadem ratio est, si reus conveniatur ratione plurium bonorum, sub diversis jurisdictionibus sitorum; potest enim superior quidem adiri, sed non necesse est quamdiu forum domicilii generale adhuc superest.

XXVI.

Secunda oritur ex generalitate actionis, v. g. quando una actio comprehendit separata capitula & causas, quod in actionibus universalibus, tutelæ putæ curæ vel negotiorum gestorum usuvenire solet. Dico una; aliud enim est in diversis actionibus, contra eundem reum intentatis. Continentia siquidem causarum tum demum non est dividenda, quando allegatur connexitas non separandi juris, non si ratio separata subest. Tertia oritur ex cohærentia iudiciorum, quorum unum alteri præjudiciale, vel alio modo connexum est. Judex præparatorii est etiam Judex præparati, prout exemplum elegans in possessorio & petitorio prostat. Cum enim decisio possessorii plenior affert petitorio intelligentiam, imò exordium, *l. 7. §. fin. ff. de lib. c.* Gail. 1. *Obs. 7. n. 3.* non debet permitti ut hæc duo coram diversis iudicibus decidantur, & sic per consequens continentia causæ dividatur. *l. 10. C. de judic. l. 13. C. de R. V. c. 1. x. de caus. poss. & propr. c. 2. §. sed Judex de sequestr. poss.* Gail. 2. *Obs. 32. n. 11.* Carpz. *art. 5. tit. 3. §. 2.* Limitatio & casus notab. continetur in *c. ult. x. de judic.* ex quo recepta est conclusio, petitorium à possessorio posse separari, quando illud est diversi fori. Quarta oritur ex litis pendentia; qui enim semel
ab

ab uno iudice citatus, is postea coram alio de eadem re conveniri nequit, ne finis iudicii diversum à principio locum conspiciat, quod est contra *l. 30. ff. de iudic.* imò eum, qui adversario in diversis iudiciis, eodem super negotio, molestus esse audet, causa cadere volunt ex *l. 1. in fin. C. de assert. toll.* nimis forte rigidè secundum mores hujus seculi. Sed Quæritur unde Litis pendentia arguatur? Respondeo de jure veteri non induci Litis pendentiam nisi per litis contestationem, tanquam fundamentum iudicii ac principium; Vinn. *i. sel. 5. fac. l. pen. ff. de iurisdic.* Lis enim pendere dici non potest antequam contestata est, quo nondum factò potest actor reum in foro recens quæsito convenire *arg. l. 112. ff. de V. O.* quamvis non eadem reo facultas data sit, ut actorem ad aliud forum trahere possit, propter jus præventionis, quod post in jus vocationem reo & aliis iudicibus obstat, quominus actorem invitum aliò trahere valeant. *l. 7. ff. de iudic.* Jure Novissimo Civili per *Auth. Litigiosa. C. de litig.* in actionibus in rem litis pendentia inducitur sola citatione vel oblatione libelli Principi facta. Jure Canonico generalius omnibus in causis hoc statutum, ut litis pendentia per solam citationem reo insinuatam inducatur. *c. 19. x. de for. comp. Clem. 2. ut lit. pend. nil. innov.* Quæro, an per citationem ex *L. diffamari* inducatur litis pendentia? Resp. Neg.; quia actoris est electio coram quo iudice agere velit, ut suprà demonstratum dedimus, qui à reo præventus dici non potest per iudicium hoc præparatorium, quod etiam revera iudicium non est; imò novum planè esset per factum rei litis pendentiam vel præventionem induci, maximè cum hoc non

E

ad

ad ipsius iudicii constitutionem pertineat, sed ut, e-
lapso termino, facto demum actoris lis & iudicium
inchoetur. *Diss. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 26. th.*
4. lit. D.

XXVII.

Sequitur forum ex Continentia Reconventionis,
eius hæc æquissima jure Civili expressa ratio est:
Cujus quis in agendo observat arbitrium, eum con-
tra se iudicem non debet dedignari *l. 14. C. de sent.*
& interl. ubi propria hujus materiæ sedes: quam æ-
quitatem ita extollit Bartol. *ad. d. l. ut in reconven-*
tione omnem iudicis incompetentis exceptionem pe-
nitens abjiciat. Loca, quibus probatur justitia recon-
ventionis, Jure Civili sunt *d. l. 14. l. 2. §. 5. l. 25. ff. de*
jud. Auth. consequenter. C. de int. omn. jud. Nov. 96.
c. 2. Canonico. tit. x. de mut. pet. c. cum dilectus. 2. c.
ult. de ord. cogn. c. dispendia. 3. vers. reus quoque. de
rescript. in 6. Clem. sæpè. de V. S. Constitutionibus
Imperii. Ord. Camer. part. 3. tit. 30. Materia per se
fusa, & vel peculiari tractatu digna. Ex qua, quoniam
succinctior methodus alioqui obscuritatem inferret,
unam alteramve selectiorem saltem elegimus quæ-
stionem, quæ nunc sequuntur. Prima quæstio est,
num Clericus aut Studiosus, coram Magistratu Se-
culari Urbanove reconveniri possit? Difficilem hanc
in Clerico fecit *c. 12. x. h* quo disertè cavetur, pri-
vilegio fori, quod toto ordini Ecclesiastico indul-
tum est, à Clerico, ne quidem cum juramento renun-
ciari posse, quod confirmatur. *c. 18. x. eod.* In Stu-
dioso *Auth. habita. C. ne fil. pro patr.* quâ, Studiosos
coram Rectore solum Academico vel Urbis Episco-
po conveniendos esse, ab Imperatore Friderico III.
lar-

largissimè statutum deprehenditur, quod privilegium adeo ampliat Treutl. *vol. 2. disp. 3. thes. 10. lit. A.* ut ne quidem ei renunciari posse doceat, reprehensus ob id à Bach. *ibid.*, ex quibus effici videtur, eos coram Magistratu alieno reconveniri non posse. Sed hic à theoreticis plerisque in contrariam sententiam abeunt Practici, Giesebert. *tract. de reconv. c. 11.* Marant. *spec. aur. p. 4. dist. 6. n. 44.* Gilhaus. *arb. jud. civ. c. 5. ram. 1. n. 2.* Gail. *1. Obj. 37. n. 6.* quibus & nos calculum nostrum addimus. Cum enim Reconventio sit de genere permissorum, quæ eòsque permissa cenletur donec non invenitur prohibita, Berlich. *part. 1. concl. 22. n. 16.* Umm. *proc. jud. disp. 10. thes. 2. n. 11.* rectè & hoc in casu, ubi specialis constitutio deficit, obtinebit, idque eò magis, quo certius est forum privilegiatum hic non attendi. Vinn. *disp. 10. th. 2. n. 8.* Urget quod *l. 14. C. de sent. & int.* loquatur generaliter, & ratio in reconventionem jure Civili expressa, jure etiam Pontificio Canonizata sit *in c. accusatores. §. cujus in agendo. 3. quest. 8.* Clericum quoque simpliciter jurisdictioni seculari subtractum non esse probat inde Marant. *ubi sup.* quod Clericus actor succumbens, à iudice laico possit condemnari in expensas. His adde Socin. *in cap. ex literis. x. de mut. pet. art. 5. vers. ego vero.* ubi latissimè argumenta utriusque sententiæ proponit. Dissentit de Jure Canonico Ant. Fab. *20. conject. 5. & 7.* & omninò Richt. *in expos. ad Auth. habita part 3. memb. ult. de for. compet. pag. 161.* qui tamen in eo noster est, quod civem actorem coram Magistratu studiosorum reconveniri permittat; quo de etiam vid. Ant. Reyg. *in proc. jud. disp. 3. thes. 30.* Fallunt hæc

primò, quando Laicus vel Civis dolosè injuriam alteri horum intulit, quo meliùs eum ad judicium seculare aut civicum trahere, ibidemque reconvenire posset. Dolus enim ejusmodi non debet actori ad effectum reconventionis prodesse. *c. relatum. 21. §. ad hoc. x. de jure patron. l. 2. §. 5. ff. de jud.* Secundò, quoad Clericum, in causa spiritali, quæ speciale habet forum. Marant. *sup. cit. n. 44.* Tertiò, in causa Criminali capitali *c. 10. x. de jud.* in quo à jure veteri planè est recessum. *arg. Auth. Clericus. C. de Episc. & Cler. c. si quis cum Cler. 11. q. 1.* nec jure noviori etiam sine cautela admittendum. Socin. *d. art. 5. n. 30. Clar. pract. crim. §. fin q. 36. n. 6.*

XXVIII.

Secunda Quæstio priori non minus ardua est. Num Status Imperii habentes jus Austregarum seu primæ instantiæ possint reconveniri coram judice inferiori, si alium mediatè imperio subjectum conveniant. Affirmat Treutl. *disp. 25. th. pen lit. E. in fin.* Firmiter hujus sententiæ, quam etiam tuetur Giesebert. *de reconv. c. 8. n. 5. & seqq.* principale & bene notabile est, quod reconventio, propter singulare æquitatis principium; omnem reum inter & actorem, inæqualitatem tollit, ita ut de incompetencia ratione privilegii excipi non possit, ut habet communis & vera conclusio. Limitatur hæc sententia, si reus talem actionem instituere vult, de qua judex ordinarius cognoscere non potest v. g. de feudo imperii, fractæ pacis, aliave simili. Priùs siquidem oportet judicem de causa per modum conventionis cognoscere posse, antequam de ea in reconventionem statuere valeat, Wurmser. *1. Obs. 5. n. 3. tit. 12. Carpz. part.*

part. 1. const. 7. def. 4. n. 2. & seqq. ad quod & allegatur. l. fin. ff. de jurisd. arg. l. 16. ff. de A. R. D. pulchrè Umm. disp. 10. thes. 3. n. 12.

X XIX.

Tertia quæstio est, an Reconventio etiam coram Austregarum iudice fieri possit? Resp. Affirm.; quia æquitas reconventionis inductiva non minus in Austregis quam aliis iudiciis militat, à quâ in dubio non recedendum arg. Ord. Cam. part. 3. tit. fin. §. 1. Accedit textus expressus Ord. Cam. p. 2. tit. 4. §. Sodan die Partheyen. & §. Dieselben neun Rächte. 2. ubi unus saltem excipitur casus, quo reconventioni coram Austregis non est locus, nempe si quispiam Statuum Imperii coram novem suis Consiliariis in jus vocetur; quæ exceptio dubio procul regulam firmat in casibus non exceptis. l. quæsitum. 14. in pr. v. denique. ff. de fund. instr. l. 1. §. stipulationum. ff. de præst. stip. Alii tres casus faciunt, moti per verba Ordination. mod. alleg., verbis quidem diversis, sensu eodem; quem enim nos generalem de novem Consiliariis ponimus, illi specialius in tres dispescunt, Treutl. ubi sup. Hoc supposito incidit dubium in egregia illa & subdifficili quæstione, quam à nullo hætenus discussam se reperisse testis est Rumel. ad A. B. p. 2. diff. 1. Corol. ult. An idem juris statuendum sit in causis feudalibus Regalem dignitatem annexam habentibus? Afferit Rumel. d. l. rectius negat Struv. Synt. Feud. c. 16. aph. 5. n. 5. arg. Ord. Cam. part. 2. tit. 7. Aur. Bull. tit. 5. quibus locis speciale forum hæ causæ acceperunt, ut nunc natura suâ coram alio iudice discuti nequeant, sive quis conventionem, sive reconventionem eas introducere velit. arg. th. præc. in fin.

XXX.

Quarta quæstio est, an in causis Criminalibus sit locus reconventioni? Distinguo cum Bachov. *ad Tr. disp. 25. vol. 1. thes. pen. lit. B.* an crimen ab accusato objectum sit gravius, an non. Si gravius, reconventioni quidem est locus, sed non propriè dictæ, i. e. tali, quæ habet effectum Simultanei Processus. Si non est gravius, subdistinguo, an concernat injuriam accusati, an non: illo casu affirm. *arg. l. 19. C. de his qui acc.* (quem textum tamen corruptum arguunt Asterisci Gotofr.) & his casibus verum est, quod dicitur, reum criminis, pendente accusatione, posse deferre suum accusatorem *l. deferre. 18. §. sed eas causas, 4. de jur. fisc. l. 5. §. ult. ff. de publ. jud.* juvat ratio *l. 14. C. de sent. & interloc.* tum quod una causa alteri præjudicium facere non possit; ergò eadem sententia terminandæ. Hoc casu *Neg. d. l. 19. l. 5. princ. de pub. judic.* Diversa planè ratio est, quando reus conventus civiliter reconvenire vult criminaliter, vel criminaliter conventus civiliter; hoc enim planè respuitur, cujus rationes passim reperies apud Dd.

XXXI.

Continencia Interventionis ejusdem cum cæteris est naturæ. Scilicet interveniens non potest uti exceptione incompetentiæ, sed cogitur ibi litigare, ubi judicium à principali cœptum est. *l. venditor. ff. de judic.*; Ratio, præter connexitatem causæ, est in *l. fin. C. ubi in rem act.* Gail. 1. O. 71. n. 2. Ant. Fab. C. tit. de jurisd. omn. jud. Def. 1. Mynf. 5. O. 14. ubi ex communi Dd. sententia, quam præjudiciis Camera-libus firmat, asserit, Clericum intervenientem non posse revocare ad suum forum *arg. d. l. venditor.* Ratio

tio evidens est, quod interveniens fungatur partibus actoris, qui semper sequitur forum rei. Eodem modo quo Clericum, Laici heredem, propter litis pendentiam, ad causam reassumendam citari posse à iudice Laico docuerunt. Zoef. *ad decret. b. t. n. 26.* Covarr. *pract. qq. c. 8.* Gail. 1. *Obs. 37. n. 8. & seqq.* quorsum conducit *l. 19. princip. de judic. & alia generalia de quibus Gail. ibid.*

XXXII.

Explicit feliciter quintuplex forum Clericis & Laicis commune: reliquum est ut fori specialis generatim nunc nonnihil inquiramus. Forum speciale supra dividebamus in id, quod ratione juris peculiaris personis tributi speciale est, & aliud, quod qualitas causarum speciale fecit. Forum peculiare ex priori respectu habet Imperator Romanus. Non ex jure communi, quo summa illa & absoluta potestas nullius jurisdictionem recognoscit, & propria etiam in causa judicat; *l. 13. §. tempestivum est. 4. ff. ad Treb. l. 3. §. ult. l. 4. ff. de arb. §. fin. Inst. de vulg. subst.* verum ex Fundamentalibus Imperii nostri Constitutionibus, quarum vigore Imperator coram Electore Palatino Rheno, S. Rom. Imperii Archidapifero, de justitia respondere tenetur Textu *A. B. c. 5. §. 3.* quo simul cautum existat, iudicium hoc in Curia Imperiali, seu ubi Imperator vel Rex Romanorum praesens exstiterit, exercendum esse. vid. Buxtorff. *diss. ad A. B. lib. 77. lit. F.* Ansam quaerendi hic sumpserunt Publicistae, an dicta constitutio A. B. etiam pertineat ad causas feudales Imperatorem inter & Vasallum ejus controversas? Equidem generalitas textus in Affirmativam pertraxit Sixtin. *de regal. lib. 1. c. 8. n. 52.*
Cui

Cui tamen contradicunt plerique, negativæ scilicet sententiaæ fautores, quanquam nec inter se concordēs; pars enim ipsum Imperatorem iudicem constituit, pars à Paribus Curiaæ controversiam hanc terminandam censet. Illos sequitur Buxtorff. *dis. ad A. B. th.* 81. *lit. A.* ab horum partibus stant Schrader. *tract. de feud. part. 10. sect. 5. n. 43. & 44.* Rosenth. *Synops. juris feud. c. 12. concl. 3. n. 10. & seqq.* Rumel. *ad A. B. dis. 5. thes. 10.* Struv. *Synt. Feud. c. ult. aphor. 5. n. 5.* Priori & secunda opinione reprobata, posteriorem veram autumo; 2. *Feud. 55. §. præterea. fin.* & sicuti in Legibus solenne est, quod speciali per generalem non derogetur, ut dixi supra *arg. l. 80. ff. de reg. jur.* ita in privilegiis illud ipsum quoque verum esse ampliatiuè docuit Richt. *cent. reg. jur. reg. 37. n. 36. & 59.* ex quo colligo forum feudale speciale hoc iudicio non esse interemptum. Est & alia scrupulosa quæstio, an Imperator alium coram Iudice Palatino Rhēni convenire possit? Negandum videtur, si verba text. *A. B.* inspiciamus, ibi: *Don Sachen wegen angemuht wird* / idque eò magis, quo minus ille textus, tanquam correctorius juris communis, est ultra verba extendendus; casus ergo omissus relinquatur sub dispositione juris communis, quod continetur in *l. fin. C. ubi in rem act. c. 8. x. de for. compet.* & adeo procedit, ut persona alias privilegiata actor existens forum rei sequi teneatur. Exemplum in Clerico, qui tametsi sancitis Pontificiis iurisdictioni seculari est subtractus, si tamen alium convenire vult, jure Canonum forum seculare sequitur. Adde, quod illa interpretatio est favorabilis, qua fit recursus ad jus commune.

XXIII.

Secundò privilegiatum forum habent Principes, Nobiles, aliique Status Imperio immediatè subjecti, quoad primam instantiam, iudicium Austregarum idiomatè Germanico appellitatum. *Das alda des H. Reichs Stände zueyung und irrungen beygelegt und außgetragen werden.* Origo Austregarum in obscuro est, nec prolixam hic explicationem meretur, consuli de ea possunt variè dissentientes Dd. jur. publ. Lent. *in them. Synopt. de priv. immed. inst. c. 3. th. 8.* Georg. Schubhart. *in disp. de Austregis concl. 1. lit. A.* Tob. Paurmeist. *lib. 2. de jurid. c. 4. n. 131.* Distinguuntur hi Arbitri, vel, ut ex taxatione juris loquamur, Austregæ, in communes & speciales. Hi, alias conventionales dicti, quorundam immediatorum & familiarum illustrium iudicia conventionalia constituunt (*Stamm austrege*) Ord. Cam. p. 2. tit. 2. princ. Illi ex communi dispositione legum publicarum dependent, quorum licet diversos modos, quibus iis locus est, contineat Ord. Cam. p. 2. tit. 4. & explicet Gilhaus. *arb. judic. p. 1. c. 1. § 8.* Duo tamen potissimum ex hisce frequentantur Matth. Steph. *de iurisdic. l. 2. p. 1. c. 3. memb. 3.* Scilicet ut vel tres Principes nominet reus ex quibus actori detur electio, vel actor à Cæsare Commissarios petat. Ratio hujus iudicii forte hæc assignari poterit, quod absurdum visum fuit deterioris conditionis esse Principes aliosve Status Imperii Immediatos alio quovis subdito, qui beneficio primæ instantiæ non privatur. Ord. Camer. p. 2. tit. 34. Unde infero (1) ab hoc iudicio rectè appellari ad Camera vel Iudicium Aulicum. Quæro (2) an privilegiatum hoc iudicium non tantum Camera sed &

F Aulæ

Aulæ Cæsareæ jurisdictionem restringat? Affirmativam tuebor cum *Limn. de jur. publ. lib. 9. c. 5. n. 13.* Reincking. 2. *Class. 1. c. 16. n. 20.* ex hac potissimum ratione; quia alioqui rationi hujus privilegii, quæ eadem in Judicio Aulico ac in Camera militat, satisfactum non esset, si non illud etiam hic quiesceret: *Accedit Rec. Imp. de Anno 1654 §. Wandan Churfürsten. 168.* quo, non minus in judicio Aulico ac Camera strictè observanda esse privilegia Austregarum, Imperator promittit. Dixi ad hoc privilegium pertinere Status Imperii Immediatos, Principes & Nobiles, quin & Civitates Imperiales in casu specialis concessionis aut præscriptionis. Cæterum hoc diversitatis statuere placuit inter Principes & alios Immediatos; ut illi hoc privilegio uti possint contra quoscunque: *Sixtin. de regalib. lib. 1. c. 8. n. 66 & seqq. Ord. Cam. p. 2. tit. 4. §. fin.* hi nonnisi inter se; ab aliis enim mediatis propriisve etiam subditis conventi ad Cameram, quæ generale Immediatorum forum constituit, remittuntur, *arg. rubr. tit. 5.*

XXXIV.

At quid statuendum de casu quo subditus à Principe extrajudicialiter gravatus? An Camera an Austregæ forum competens erunt? Probo hic distinctionem *Wilh. Becker. Synops. jur. publ. lib. 3. c. 4. §. 6.* an gravamen illud sit illatum à Principe ad instantiam partis, tanquam à Magistratu seu Judice ordinario loci: an tanquam à parte. De illo Cameram; de hoc Austregas competentes pronuncio. Sed an & extranei Principes subditivè hoc judicium sequi tenebuntur? Variè hoc quæsitum torfit *Dd.*, crebrius tamen in affirmativam descensum est, quæ, quia *Ord. Cam.*

Cam. p. 2. tit. 2. Jure Civili l. fin. C. ubi in rem. act.
 Canonico. c. 8 x. h. & communi opinione roboratur,
 nobis etiam probatur; hac tamen cum conditione,
 modo Princeps reus sit. arg. jam dict.

XXXV.

Tertium fori privilegium habent Studiosi ex celeberrima *Auth. Habita. C. ne fil. pro patre*, qua uti laudabiliorem non viderunt jura, ita difficultatibus carere non potuit, de quibus multifariam vide Dd. in comm. ad d. *Auth.* Huc quantum attinet, movetur primò, Quis Judex competens sit? quod dubium peperit superstitionosa verborum, Magistri & Domini, in *Auth. nostra* expressorum explicatio; alii enim per Magistrum, alterius Facultatis, per Dominum, Professore Juris intelligunt: contrà alii Magistrum, Professore Juris interpretantur; alii alias sibi personas imaginantur. Non desunt etiam qui personas confundunt, voculam (*vel*) declaratoriam putantes; à quibus denuò secessum faciunt tum ii, qui Rectorem Universitatis intelligunt, tum qui Professore cujusvis Facultatis hic admitti putant. In summa quot capita tot sententiæ. Prior & secunda ex his mihi ineptæ; Tertia & quarta tolerabilis, postrema textui convenientior videtur. Verum sinceriora hic abstrahunt, eò magis cum hodie electionis exigua sit utilitas; de more enim singularum Universitatum id ferè receptum est, ut eligatur Rector, qui Studiosis inter se vel cum aliis controvertentibus jus dicat, cum consilio tamen Senatus Academici. Huic jurisdictioni cum peculiari juramento se submittere teneantur Studiosi, in proclivi est eos forum hoc declinare non posse omni electione generaliter adempta.

XXXVI.

Circa personas Studiosorum eleganter dubitatur, an ii pertineant ad privilegium Auth., qui lectiones, disputationes publicas, aliaque negligendo, Studiosos se non esse factis suis quasi fatentur. Utramque, tam Affirmativam, quam Negativam; rationibus non destitutam ait, easdemque ordine recenset Harpr. *inst. de excus. tutor.* §. 15. n. 10. & seqq. quamvis in Negativam ipse inclinet n. 35. Cui sententiæ, & nobis magis probatæ, adstipulatur Richter. *in exposit. Auth. p. 2. de personis quibus Imp. vol. cons. pag. 28. & 179.* ex hoc infallibili principio, quod cessante ratione privilegii, de qua eleganter loquitur ipsa Auth. ipsum quoque privilegium cessare necesse sit; justior etenim non est beneficii amittendi causa, quam si id non præstetur, ob quod beneficium concessum fuit. *c. un. 2. F. 24 § 2.* Quibus adjicere lubet insignem illam usuque quotidiano celebrem disceptationem: an jurisdictio etiam criminalis, s. merum imperium, ut nostrates ajunt, vigore hujus Auth. concessum sit judici Studiosorum? Videtur hoc velle textus *Auth. in verb. deliquit*, nec ineptè videtur argui è foro clerici & militis *c. Clerici. 8. x. de judic. l. 9. ff. de cust. reor.* Ast fortiter obstat, quod merum Imperium generali jurisdictionis concessione non transeat, prout eos errare, qui contrarium sentiunt, inquit Papinianus *l. 1. pr. & §. 1. de off. ejus. quem sequitur Struv. ib. thes. 40. & Dd. comm. per d. l. & l. fin. §. 1. eod. l. 6. pr. de offic. proc.* Unde etiam factum quod jurisdictio mero imperio in usu juris opponatur. *l. 3. ff. de jurisdict. cum concord. de quib. Struv. Ex. 4. th. 51. Synt. Feud. c. 6. aph. 18. n. 3. & 4.*
Ne-

Neque tamen rectè hinc intuleris, hodie ideo secus esse, quod appellatio jurisdictionis generalis sit. Imò nec per hoc specialis illa concessio, quæ in jurisdictione criminali requiritur, sublata censetur Knichen. *de vest. pact. p. 2. c. 1. n. 54. n. 122.* quibus permotus verioremi puto in puncto juris eorum sententiam, qui Authenticam nostram jurisdictioni saltem civili accommodant, quam ex professo defendit Richt. *d. tr. p. 3. memb. 3 pag. 140.* Gilhaus. *arb. jud. crim. c. 1. n. 117. & seqq.*

XXXVII.

Quartum privilegium ad se trahunt milites, quorum competens forum est coram magistro militum. *l. 6. C. de jurisd. l. 18. §. 1. C. de re. mil.* nisi ante militiam alterius fori esse cœperint *l. 7. ff. de judic.* imò militem alibi delinquentem ad iudicium hoc Magisteriale sagatum remittendum esse volunt ex *l. 9. ff. de cust. reor. arg. l. 6. C. de jurisd.* Hodierno jure militari, (cujus inter species eminet Hollandicum) in causis civilibus nihil ferè ex jure veteri, contento in *l. fin. C. ubi in rem act.* mutatum; actore nimirum forum rei sequente; quod idem non obscure confirmat *Constitutio Electoralis Brandenburgica de Anno 1672. §. Wan sich aber. 14.* quo disertè cavetur, ut, lite inter paganum & militem exorta, vel Belli Dux vel Magistratus loci iudicet, prout vel paganus vel miles actor reusve existit: Hoc tamen addito, ut utriusque iudicio, ad præcavendum partialitatem, è diverso ordine assessor jungi debeat. Optimum sanè ad compescendos tumultus & discordias subditorum remedium. Add. §. 13. *So sollen. §. Uber obbeschriebene. 21. ejusdem Constitutionis.* Quibus ex jure militari

Imperiali subijcio forum personis militaribus delinquentibus competens, das *Neuterrecht* appellatum; cujus mentio in corpore jur. mil. pag. 246. 252. 271. & multis aliis. ad quod rursus introducendum juramento teneri dicuntur, quicumque personæ militares censerentur volunt. *Röm. R. Maj. und des H. Reichs Neut. bestall. § 40.* De Constitutione ejus, Judice ordinario, Assessoribus, causis ibidem tractari solitis, aliisque solennitatibus pleni sunt, præter alleg. *Neuter bestallung* / tum tituli tres de foro hoc speciales, tum *Svevica Obergerichts Ordnung* / de quibus pag. 269. 370. & seqq. in d. corpore jur. mil. latè tractatur, mihi sufficiens visum, ad fontes ipsos tædio prolixæ explicationis remisisse.

XXXVIII.

Quintò, quæ de foro Illustrium, Clarissimorum, Senatorum, Decurionum item & Palatinorum, nec non aliorum sine numero & methodo in *lib. 3. Cod. & alibi.* passim sparsa reperiuntur, ea, hodie ferè obsoleta, à Commentatoribus *ad tit. de judic.* collecta sunt, vid. *Mejer. C. A. th. 251. & seqq. Struv. thes. 38. & 59.* Hic mores Patrios annotasse satis sit. Secundum hos igitur Consilarii vel Officiales Principis Electoris nostri ab altero conventi, sub sola ipsius jurisdictione s. mediatè seu immediatè forum sortiuntur, prout eos vel in minori, vel majori sorte posuit Electoralis Gratia. Sic tamen ut regula utriusque juris, quâ actor forum rei sequitur, nihil detrimenti capiat; qui enim conventi peculiari privilegio gaudent, iidem convenientes ad jus commune remittuntur. At quid in casu reconventionis? Anne hæc coram alio quam Principe contra Consilarios intentari

tari poterit? Memini convenienter juri communi, quo reconventio tollit privilegium reconventi, esse decisum clementissimo rescripto de Anno 1674. in quo etiam forum hoc sufficientissimè fundatum video. Quod sicubi collegium justitiæ Recessibus Provincialibus contravenire arguitur, causam vel coram ipso Serenissimo, vel eo absente coram Illustrissimo Regimine de plano terminandam docet Landt. Absch. 1660. §. Imgleichen. pen. ad quem concordans & relativa est *Constitutio Electoralis de Anno 1670. §. Anfänglich.*

XXXIX.

Sextò, ut ad personas Ecclesiasticas veniamus, privilegium fori habet Pontifex *ex Can. 1. dist. 22. clariùs Can. nunc autem. 7. dist. 21. Can. aliorum. 14. 9. q. 3.* Cujus ratio subtilior allegatur à Pont. Quia uni dictum: Tu es Petrus &c. Alia est quod Papa omnia jura habeat in pectore *c. 1. de const. in 6. Pheder. de interp. leg. circ. fin. pag. 278.* ad exemplum forte Imperatoris, qui omnia jura in scriniis habere dicitur. *l. 19. C. de testam.* Ubi mirum quod eadem ratio idem in Imperatore efficere non potuerit. Sed forte hoc inde, quia non eadem personis secularibus quæ Ecclesiasticis sanctitas. Accedit & hæc ratio, quam, quia Jure Canonico expressa est, referre non pigebit, scilicet Papa à nemine judicari vult, etiamsi innumeros populos catervatim secum duceret in infernum. *c. si Papa. 6. dist. 40.* à quo non absona est vox Pauli II. quam refert Platin. in ejus vita. Utique hodie hoc privilegium fori eo certius sibi vindicant Pontifices, quod novus Jesuitarum ordo, Papam infallibilem, supra comitia esse, & authoritatem comitiorum à ratificatione Pontificis dependere enixè defendit.

XL. Sub.

XL.

Subordinantur Pontifici Patriarchæ & Primate coram illo conveniendi *c. antiqua. 23. de priv.* Hisce Archiepiscopi & Metropolitanus *Can. conquestus. 8. c. 9. q. 3.* qui iterum ordinarii iudices sunt Episcoporum *c. Pastoralis. 11. in fin. princ. de off. jud. ordin.* Inferiores etiam Clerici omnes, seculari foro subtrahenti, forum suum ordinarium sortiuntur coram Episcopo ex *Can. cum Episcopus 7. de off. ord. Can. si Clericus 46. c. 11. q. 1. c. si diligenti 12. x. de for. compet. Umm disp. 4. thes. 7. Marian. Soc. in c. si diligenti. n. 1. c. si quis Clericus. n. 3.* Quemadmodum enim Clerici non possunt esse iudices vel jurisdictionem habere in causis Laicorum, licet audientiam habeant *tt. C. de episc. aud.* ita nec vicissim Laici (sic enim recepto more loquor) in causis Clericorum ullam sibi jurisdictionem tribuere queunt. *Treutl. vol. 1. disp. 12. thes. 9. & ibi Bachov.* quod adeo procedere voluerunt Canones, ut ne quidem per prorogationem Laicus possit competens fieri ex ratione *d. c. 12. & in compromisso ampliat. Gail. 1. O. 37. n. 2. arg. l. 1. de arb. Gilh. arb. jud. civ. p. 1. c. 1. § 8. n. 15.*

XLI.

Fallit (1) si Clericus est actor, *arg. c. 5. c. 8. x. h. Socin. c. 1. x. h. n. 1.* ubi quidem aliqui contrarium statuunt moti argumento *d. c. 8. & 9.* Sed minus accurate; quantum enim *c. 8.* attinet, continet illud casum specialem protractæ per secularem justitiæ, de cætero generaliter (& sic etiam in Clerico) approbat regulam jure Civili receptam ex *l. fin. C. ubi in rem.* Postremum de causis Civilibus agens, non indistinctè de omnibus personis Ecclesiasticis loquitur, sed
 restri-

restrictivè de Clericis Parisiensibus disponit, ergo saltem ad alios hoc non trahendum, ex natura privilegiorum, quæ, tanquam personalia, extra personas privilegio insertas non temere trahenda text. in §. 6. *Inst. de jure N. G. & C. l. 14. 15. & 6. ff. de ll.* Nec dicas rationem Canonis esse generalem, & explicationem hanc à mente Pontificis alienam; Scio equidem, illud Pontificibus semper animo fuisse, ut quovis vel meliori vel pejori modo turbam Clericalem è manibus Secularibus raperent, quorum deinde ope & consilio majestatem suam fortius promovere possent contra Secularem jurisdictionem: verum considerandum, hic Pontificem loqui de Clerico convento; eo enim actoris partes sustinente, non trahitur ad iudicium Seculare, de quo Canon loquitur, sed ipse trahit. Quin amplius, posito Pontificem velle quod reus conventus debeat sequi forum Clerici actoris, reus conventus in foro Ecclesiastico statim excipiet de incompetencia, dicetque se non ligari statutis Pontificis, & Clericus, vel invito Pontifice, causam in iudicio seculari agitare tenebitur, vid. *Carpz. proc. jur. tit. 3. art. 4. §. 1. not. 5. Fab. lib. 1. Cod. tit. 2. def. 22.*

X L I I.

Fallit (2) in causa feudali, quæ in iudicio feudali definiri debet. (3) In actione reali. (4) In interventione & reassumptione processus *Gilhaus. c. 1. part. 1. §. 8. n. 30. & 32.* (5) In reconventionem *Fab. in Cod. lib. 3. tit. 12. def. 12.* dixi sup. (6) si Clericus reperitur in habitu seculari censetur renunciassse privilegio fori, & talis quisque præsumitur, qualis ex habitu iudicatur. *l. 50. loc. l. 15. §. si quis virgines 15. de injur. facit optimè l. 52. §. 1. C. de Episcop. & Cleric.*

G

Adde-

Addeſis Ant. Fab. *in Cod. lib. 3. tit. 1. def. 21. (7)*
 Si Pontifex ſe ſubmittat iurisdictioni Imperatoris
c. nos ſi competenter. 2. q. 7. Socin. c. 1. x. h. num. 29.
 Umm. n. 36 (8) Si Clericus ſpernat authoritatem ju-
 dicis Eccleſiaſtici. *c. 10. x. de jud. Fab. d. tit. 12. def. 8.*
 (9) Si citatio generalis per iudicem ſecularem emit-
 tatur. Idem *tit. 1. def. 38.* (10) In delicto privilegia-
 to, de quo vid. Umm. n. 32. Clar. §. *fin. pract. crim.*
q. 35. & 36. Anton. Fab. in ſuo Cod. lib. 1. tit. 12. def.
31. & 42. add. c. 8. & 10. x. de jud. (11) Vid. variè
Socin. in d. c. 1. x. h. Gilhaus. d. §. 8. Fab. ad tit. de
judic. C. def. 6.

XLIII.

De iuſtitia huius fori non ſine ratione dubitat
 Treutl. & Bachov. *ad tit. de jud. ineptitudinis illud*
 arguit Ant. Matth. *de jud. diſp. 6. th. 45.* Certè A-
 poſtolus noſter neque iudicium ſeculare ſubterfugere
 voluit *Act. 24. 10. c. 25. 10. 11.* neque juſtè potuit,
 cum fatente ipſo *Rom. 13. ad Titum 3. n. 1. & Petro*
2. 13. omnis anima poteſtati ſeculi ſubjiciatur. Sed
 forte iſtæ leges ad priora tempora erant reſtringen-
 dæ; mutatâ nunc Eccleſiæ facie & Reipublicæ Roma-
 næ forma idem reducere velle ridiculum fuerit: quæ
 ratio etiam fortassis eſt, quod noſtris religioſis adeò
 largè provideri non potuit; quin controverſiæ eorum
 civiles ſecularem iudicem agnoſcerent, ſtabili inte-
 rim manente, quod mores & vitam eorum attinet,
 cenſura Eccleſiaſtica *Clev. und Marck Kirchen-Ordnung*
tit. von Cenſur der Prediger / cui adde conſt. Imp. de
Anno 1555. §. Damit auch obberührte beyde Religions
verwandten. Conſiſtoriiſ igitur ſua viſ & iurisdictione,
 dummodo ea intra modum & limites præſcriptos ex-
 erceatur:

erceatur: nec impune habituri essent Ecclesiastici, si causas ad jurisdictionem secularem pertinentes in foro Ecclesiastico deciderent *Mev. part. 6. D. 9. num. pen.* Promulgata est de foro Ecclesiastico constitutio Electoralis, Anno 1661. 7. Septembr. ex qua patet causas Ecclesiasticas ad jurisdictionem Electoris pertinere, idque ratione juris Episcopalis in suis ditio- nibus ei competentis. Simul & illud cautum, ut si posthac exteris decretis, provocationibus & appella- tionibus, jurisdictionem ejusmodi turbaturi essent Ecclesiastici, per hoc ipso facto omnibus præbendis & beneficiis exutos, insuper pro rebellibus declaran- dos, & corio infutos in aquam projiciendos esse.

XLIV.

Restat forum privilegiatum ratione qualitatis cau- sarum: ubi conspicua præ cæteris est qualitas feuda- lis; Qua de in genere prænotandum, si duos inter pluresve Vasallos de feudo controversia inciderit, do- minum feudi judicem esse competentem 2. F. 55. §. præterea. in fin. c. 6. x. h. Si vero inter Dominum & Vasallum lis agatur, Pares Curia, unanimi Domini & Vasalli consensu electos, 2. Feud. 16. Myns. cent. 4. obs. 89. n. 5. esse competentes. d. tit. 16. 2. F. 39. §. si inter. tit. 55. in fin. Ne autem hæc ita simpliciter po- sita ansam cavillandi præbeant superstitioso, priori casui superaddo hanc distinctionem, ut in feudis re- galibus solus Dominus seu Imperator judex sit com- petens 1. F. 18. in non regalibus etiam Pares Curia adhiberi necesse sit: per *dd. texx.* Adde *tit. 15. 1. F. §. illud tamen.* *Struv. Synt. Feud. c. ult. aph. 5.* Neque eos quosvis pro lubitu, sed, secundum tenorem juris feudalis, ejusdem Domini immediati, ejusdemque

G 2 Curia

Curia Pares; è diversis enim Curis vel diversi gradus simul non admittuntur: quanquam nil referre putent, utrum Pares inferioris gradus Vasallo litigatore, vel eo Clerico existente ipsi Laici sint; nam privilegium fori à Clerico in iudicio feudali allegari non posse, rectè censet Gail. 1. *Obs.* 37. n. 3. & comprobatur clarè textus Canonicus in c. 6. & 7. x. b. Ratio rationis est, quod natura & qualitas rei trahit ad se personam, non contrà. Limitatio notabilis est in *fn. d. c.* 6. si iudex feudalis iustitiam administrare protrahat, quod innuit in simili c. 8. x. eod.

XLV.

Succedit nodosa sed disquisitione digna Quæstio, an, quæstione de feudo Imperii duos inter Vasallos exorta, concurrentem cum Imperatore jurisdictionem Camera habeat? Distinguit observator Cameralis Gail. 1. *Obs.* 29. an super feudo majore, an minore disceptetur. Illo casu rem apertam reddidit *Ord. Cam. p. 2. tit. 7.* quæ cognitionem super feudis regalibus majoribus soli Imperatori reservat. Hoc casu tanquam certum præsupponit, Camera Imperialem in civilibus Cæsarem repræsentare, prout passim docetur in Constitutionibus Imp., vide *Recess. Imp. noviss. §.* Damit aber auch 165. Berl. part. 1. Dec. 158. n. 27. *Sixt. de Regal. lib. 1. c. 4. n. 8.* concurrentem cum eo habere jurisdictionem, & proinde locum esse præventioni c. *cum plures de off. del. in 6.* quod jus præventionis, cum non reperiatur expressè per d. *Ord.* correctum in feudis minoribus, colligit Gail. in hisce Camera cum Imperatore concurrere. Sed & exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Ego vero, ut dicam quod rei est, sententiæ huic acquiescere

scere non possum. Puto igitur verius esse casum omis-
sum relinquendum esse sub dispositione juris com-
munis. *l. 32. in fin. C. de appellat.* id est, causas feu-
dorum minorum in iudicio feudali per Imperatorem
& Pares Curiae esse terminandas, Camera planè ex-
clusa. Sed an Pares Curiae priori casu admittendi ele-
ganter ac dubiè quæsitum? Negamus ex principio
feudali antedicto, quod firmat apertus textus *in c.*
un. ap. quem controv. feud. term. c. un. in pr. de leg.
Corrad. 2. Feud. 34. Ord. Cam. p. 2. tit. 7. Licet in
contrarium abierint magni viri, qui auctoritate des
Fürstenrechts etiam Pares Curiae admittendos esse ur-
gent *Limn. 2. jur. publ. 9. n. 32 & seqq.* Caspar Zie-
gler. *§. Austregæ in Limitat. à princ. fol. 47.* à quibus
secessum faciunt *Struv. Synt. Feud. c. 16. aph. 5. n. 3.*
Dn. Rhet. in comm. jur. Feud. lib. 1. tit. 18. §. 1. Quæ
sententia licet jure verior, observantia tamen aliquo-
ties contrarium comprobatur, & Status Imperii ad-
hibitos fuisse, refert *Strijck. exam. jur. Feud. c. 25.*
q. 5. nec negat Rhetius d. l. n. 10.

XLVI.

Qualitati feudali proxima est Spiritualis vel Eccle-
siastica, cujus jurisdictionem hodie apud nos Sere-
niss. Electori asseruimus: de jure communi eam ad
iudicium Ecclesiasticum remittimus *c. 3. de jud. Carpz.*
1. resp. 86. process. jur. tit. 3. art. 4. §. 1. Quæ causæ
Ecclesiasticæ sint, passim enumerari videas. Matri-
moniales inter easdem traxit superstitione Pontificia
vel potius dispensandi, indeque ditescendi cupido.
c. 13. 28. de Sponsal. c. 16. de off. & pot. del. rursus
ex iis redemerunt Constitutiones Patriæ de quibus
infra. Bene *Carpz. proc. jur. tit. 3. art. 4. n. 15. & seq.*

Disputatur an causa Spiritualis per consequentiam non principaliter in iudicium deducta coram seculari definiri possit? Utrumque propter dissensum Author. probabile fuit creditum. Negantibus enim Honor. summ. in Decret. tit. 18. & alibi. Myns. 1. Obs. 100. contradixerunt Klock. de contribut. c. 2. n. 5. Gail. 1. Obs. 37. n. 6. è quibus priorem opinionem probabiliorem iudico cum Struv. Exercit. 9. th. 57. per c. lator. 5. x. qui fil. sint legit. nostris moribus huic quaestioni vix locus esse potest.

XLVII.

Est insuper qualitas Status, Fiscalis & Privilegii de quibus tit. C. ubi caus. stat. ubi caus. fisc. Wesenb. in Paratit. ibid. c. 1. & 2. de confirm. util. vel inutil. Sixtinus de Regalib. lib. 1. c. 8. Nobiscum hisce de causis iterati Recessus emanarunt de Anno 1660. & 1661. videsis in illo sub § Und weil ic. & seqq. In hoc sub § So soll ic. ubi causæ prædictæ & aliæ inter tria Collegia, Regiminis, Justitiæ & Oeconomix ita distributæ, ut in priori (1) causæ Ecclesiasticæ & Beneficiales. (2) Regalia & jurisdictionem territorialem concernentes. (3) Causæ contributionum, quod etiam habet Recess. de Anno 1664. §. 35. (4) Criminalia; quod intelligendum, nisi in loco delicti Magistratus mero imperio gaudeat, ut alibi; per appellationem enim causæ criminales, pœnam corporis afflictivam habentes, nec huc, nec ad Collegium Justitiæ, nec ad Sereniss. devolvuntur; Landt. Absch. de Anno 1664. §. 27. Die Streit- und Parthey sachen ic. (5) Fiscalia & mulctæ. (6) Matrimonialia. (7) Causæ Status in legitimatione & manumissione (sic cognitio de partu illegitimo jurisdictionis Electoralis portio est, quam

quam tamen per iudices inferiores exercet. *juxta*
mandatum de Anno 1682. circ. fin.) & aliæ nonnullæ,
 nobis non observandæ, discutiantur. Secundum Col-
 legium eadem etiam causæ occupant, sed tunc, quan-
 do definitivam, ob controversam partium justitiam,
 desiderant, quo casu vel ex officio, vel ad instantiam
 partis ad ordinarium provocantis, à Regimine huc
 veniunt remittendæ. Vid. omn. *Statuum Gravam. 5.*
& resolut. de Anno 1671. Aliæ etiam causæ, nullita-
 tis puta & restitutionis in integrum, vel quicquid de-
 nique finem litis sententia iudicis accipit, nec ad
 prioris Collegii jurisdictionem pertinet, hic ventilan-
 dum & collegialiter decidendum per *Recess. de Ann.*
1660. §. Und sollen. Resol. ad grav. 9. sub dato Cleve
den 6. Nov. 1671. Collegium Oeconomix, tertium
 in ordine, causis jurisdictionalibus vacuum, solam
 Oeconomiam & Domanialia Principis Serenissimi cu-
 rat. Causas privilegiorum dubias à Sereniss., Statuum
 consilio, determinatas legimus *Recess. de anno 1660 §.*
Bewilligen etc. §. Diesem nach etc. planè congruenter. §.
Mehr wollen etc. ibid. quo Statibus promittitur futu-
 rum, ut nihil inauditis ipsis in causis privilegiorum &
 immunitatum statuatur. De causis ad jurisdictionem
 Camerae pertinentibus rectè hic quoque doceri pos-
 set: verum confusa eorum in Ord. Cam. & Consti-
 tutionibus Imperii, sparsa item & disrupta Interpp.
 tractatio methodicam collectionem nunc præcludit.

XLVIII.

Supereft ex moribus Territorii nostri forum famo-
 sissimum de bonis Serenissimi nostri Francis. Frey-
 güter vulgariter. Franca dicuntur non ratione exem-
 ptionis, sed à personis eorumque statu: non minus
 enim

enim hi ac alii annum quid & contributionem exsolvere tenentur. Colonis hisce à bonis nomen & appellatio indita. Igitur *Frey männer* vocantur. Judicium super iis exercitum appellatur *das Frengericht / Freystuhl*. Iudices *Frey greven* / notissimis totius provincie vocabulis, & authentico Registorum testimonio. Hoc iudicium primitus etiam in causis criminalibus, injuriarum, & personalibus exercitum esse ad oculum demonstrat *Archivum Cancell. Cliv. Registro caus. Marckens. 24. fol. 260.* à quo jure nec postea recessum esse hinc inde ex instructionibus *Freigravio- rum* patescit. Sic instructio *Georgii Holtzbrinck* (Avi *Materni venerandi*) de Anno 1652. jurisdictionem Criminalem, multas; causas etiam personales ad hoc forum ducit. Rescriptum de Anno 1595. 23. *Octob.* de personalibus & realibus actionibus loquitur. *ibi. Dat Fryngericht sall gahn über di Frygüther / tam in personalibus quam in realibus actionibus, un wat den anhengig re.* Iudicium hoc consortem non admittit; sed *Judex peculiaris* ab Augusto Electore, ratione tum jurisdictionis & superioritatis territorialis, tum proprietatis, constitutus omnem sibi cognitionem vindicat, qua de re præ cæteris spectabilis & plurimarum relativa exstat *Constitutio de Anno 1670. 3. Julii.* qua non tantum iudicibus ordinariis inferioribus, sed *Satrapis* etiam, omnis cognitio, sigillatio, alienatio super his bonis prohibetur, additis in contravenientes gravioribus pœnis pecuniariis & privationis officii; quin & cassatis & annullatis omnibus in contrarium gestis. Super Possessorio, Servitutibus & Actionibus pro iis competentibus non secus haud ita pridem justissima ratione *Constitutione*

tutione speciali provisum, ubi Elector ait: Wan über ein Freyguht ein realis servitus, via, iter, aquæductus, zaun oder befrechtung prætendirt wird / daß alsdan der zeitliche Freigreve das Churfürstl: interesse darin am besten beobachten kan Und Musß. Amplius Commissiones ab aliis iudicibus contra hocce iudicium impetratas nullius vigoris, & earum gesta Freigravio ad acta restituenda esse, placuit anno præterito. Sed de hoc impræsentiarum plus satis; ulteriora desiderans repetat nitidum de hisce bonis Consilium D. Pisenii ex Archivo Clivenfi: Consilium item D. Cancellarii Ohlschlegers de Anno 1663. & commissionem Dnn. Vilitatorum de Anno 1601. Illud tandem moneo, ne homonymia vocis erres, diversum ab hoc iudicium esse cujus mentio fit in Reform. guter Policen / die freischöpfen und das heimlich Westpfälisch gericht betreffend. quo crudelius non viderunt Secula antea; de quo videsis Wehner. *Observ. pract. voc. Freygraff / Freygericht.* Klock. *de contrib. c. 4. n. 268. & sequenti.*

X L I X.

Denique hoc addendum forum, propter delegationem iudicis, quandoque nos sortiri coram aliàs non iudice ordinario, *tt. x. de off. & pot. jud. deleg. tit. ff. de offic. ejus.* quod extraordinarium dicitur Ummio *disp. 4. thes. 1.* Sed hoc ad omnes jurisdictionis species non porrigitur. Merum enim imperium, & quæcunque specialiter Lege, Scto vel Constitutione Principum tribuuntur, mandari non possunt, Just. Mejer. *ib. th. 4. & seqq.* Struv. *Exerc. 4. th. 40.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. disp. 3. thes. 6. lit. C in fin.* reliqua, quæ mandari queunt, delegatum mandantis jurisdictioni subjectum exigunt, Struv. *thes. 38. arg. l. un. C. qui*

H

pro

pro sua jurisd. nec à mandatario aliter quàm ex formula ipsi præscripta expedienda, argumento mandati privati. Vant. *de nullit. proc. & sent. ex def. jurisd. del. n. 91. conf. Recess. Prov. 1660. §. Woferne auch in fin.* etiamsi certior meliorve expediendi modus suppeteret, cujus exemplum affert Ruland. *de comm. p. 1. lib. 3. c. 2. n. 6.* verum hæc materia uti fusos Dd. commentarios meruit, ita nos hic abrumpere cogit. Quod Commissarios Principis attinet, videri de iis poterit *Rec. Prov. de Anno 1661. §. Ferner statuiren und wollen wir &c. item Constit. de Anno 1670. §. Imgleichen &c.* De foro secundæ instantiæ, s. appellationis, consultò sileo, pleni sunt hujus materiæ, præter ex professo tractantes, aliorum etiam Dd. tractatus; existant uttiusque juris integri tituli. Non desunt etiam notabiles Recessus Imperii *de Anno 1600. 1654 & Provinciales Cleve- und Marckische Hoffger. Ordn. per tot. ferè Constitutiones item pragmaticæ & sanctiones aliæ. Privileg. Maxim. II. de non appellando Anno 1561. Ducibus Cliviæ &c. concessum.* Nec longiores erimus in avocatione causarum, recusatione, prorogatione: de quibus, locis congruis, fusior est disceptatio quam ut hic inseri queat. Exceptio incompetentiæ & alia affinia bonam partem ex superioribus pendent.

L.

Et hæc sunt, quæ, quam fieri potuit, brevissimè de elegantissimo hoc simul ac difficillimo themate diggerere debui, volui. Plura scitu digna omissa esse, plura etiam præter necessitatem materiæ posita non diffiteor: veniam tamen ejus, quod currente calamo non semper æquè ex proposito cecidit, à Benevolo
Lectore

Lectore facile me obtenturum spero. Si cui forte an acutioris iudicii homini thema hoc præsens obversetur, sciat me ostensis erroribus non ignaviorem futurum in dediscendo eo, quod præcipitanti genio chartæ non potuit tradi elatius, quam sum pronus ad amplectendum in materia ardua sanioris cujusque iudicii decisionem cum *Jcto in l. 20. ff. de Fideicom. libert.* Placuit saltem in re gravi potius quam futili errare, quod, professione candoris apud cordatos, si minus laudem, saltem excusationem, merebitur; quibus consequenter haud absurdum visum, incautis erroribus excusationem, invidiæ & scrupulosæ superstitioni deprecationem annectere. Contra Zoilum me hoc solo tueor: molestum est invidiam sustinere; at multò molestius nihil invidendum habere.

COROLLARIA.

I.

L. Si unquam. 8. C. de rev. donat. minus rectè ad quemcunque donatarium porrigitur.

II.

Suis heredibus præteritis etiam hodie post Novell. 115. testamentum totum nullum esse, vera est sententia.

III.

Testamentum, exheredatione sine expressa causa ingratitudinis facta, nullum esse, non probatur ex eadem Nov.

H 2

IV. Fra-

IV.

Fratrum filii soli existentes ab intestato in capita succedunt.

V.

In successione fratrum consanguineorum & uterinorum distinctionem bonorum servari, non absurdum.

VI.

Tutela Electoralis legitima ex Aur. Bull. c. 7. testamento præverti potest.

VII.

Pares Curie ad iudicium feudale novo juramento constringendos esse, non evincitur ex c. Imperialem. 2. Feud. 55.

F I N I S.



Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle


3

004 527 046



Sb

107



20. num. 2. 3'

N. 7. C. 28

INAUGURALIS

ICA,

1684, 2 al

COMPETI,

NUMINIS;

AUTHORITATE

Consultorum Ordinis in

burgica, quæ est

orum,

onoribus & Privilegiis

enniter more ma-

uendis.

amini subjiciet

US Bon DIEST,

EPHALUS,

Auditorio majori,

s.

HENUM,

Academ. Typogr.

XXXIV.

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTS-
DRUCKERIE